

05

A

427





I. N. J.
DISCUSSIO
CONTROVERSIARUM
HODIERNO TEMPORE INTER ECCLE.
SIAS ORTHODOXAS LVTHERANORVM & HETER-
RODOXAS SACRAMENTARIORVM AGITAT-
TARVM

DE
S. BAPTISMI SAC-
CRAMENTO

Quam
In Illustri Academia Wittebergensi
SUB PRÆSIDIO
Viri Maxime Reverendi, Amplissimi, atque
Excellentissimi


DN. ABRAHAM CALOVII,

S.S. Theol. Doct. & Prof. Publ. famigeratissimi, Ecclesie
Wittebergensis Pastoris & Circuli Electoralis Saxonici Su-
perintendentis Generalis vigilantissimi, nec non
Consistorij Ecclesiastici Assessoris gravissimi,
Domini, Patroni, Præceptoris ac Hospitis sui exiter-
nium devenerandi

Examini publico submittet

Ad d. April. in Auditorio Majori

M. WVOLFG. MELCHIOR Stuber Halâ-Saxo.



WITTEBERGÆ,

Literis JOHANNIS HAKEN, ANNO MDCLXVI.



DISCERNATIO

CONTRIVERSIARUM

HODIERNO TEMPORE INTER ECCLIA

SIAS ORTHODOXAS ET ALIENAS

RODOXAS SACRAMENTARIORUM AGITA

TRIVM

DE

S. BAPTISTINI SA.
CR. VENTO



In Illustri Academia Wittenbergensi

SUB PRASIDIO

Magistri Carolini Beckmanni

DN ABRHAM CALOVII

SS. Theol. Doct. & Prof. Publici Ordinarii

Wittenbergensis, Praesidis & Rectoris

Universitatis Wittenbergensis

Consistorii Ecclesiastici

Wittenbergensis, Praesidis

& Rectoris

Universitatis Wittenbergensis

M. WOLFG. MICHOLIS



בגד :

QVAESTIO I.

Utrum Baptismus ad salutem sit necessarius, an vero liberi fidelium ante Baptismum sint in gratiâ & foedere DEI?

Disp VIII.
de Sacram.
Bapt.

Παρονομή.

§. 1.

INter alia nomina discretiva coetui Calvinianorum ab orthodoxis imposita haur postremum est quo *Sacramentarii* appellari solent. Etsi enim maximoperè illud avertentur, ac de injuriâ sæpius conqverantur, res tamen & scripta eorum loquuntur, jure id ipsis imponi optimo. Modò enim *unionem Sacramentalem* rei cœlestis cum terrenâ inficiantur, modò *formam Sacramenti* in nudâ aliquâ analogiâ significativâ cōstituunt, modò *Sacramenta V. & N. T.* confundunt, modò eorundem finem & effectum impugnant &c. atque aded non se dignos modò, sed dignissimos Sacramentariorum esse nomine facis superque testantur. De Baptismo ceu primo N. T. Sacramento rem ita sese habere, atque ejus doctrinam à Calvinianis perverti, hac ipsâ disputatione, divinâ annuente gratiâ, edocturi sumus: præprimis igitur de *necessitate* hujus Sacramenti disquirendum est, *sive ad salutem necessarium, an v. liberi fidelium ante illius susceptionem in gratiâ & foedere DEI sint*, ac proinde eo carere queant?

§. 2. Prius a quàm vel orthodoxam sententiam confirmemus, vel heterodoxa Sacramentariorum placita producamus & pro virili destruamus, præmittenda quædam erunt, ad melio-

rem quæsitæ hujus perceptionem & faciliorem progressum faci-
entia. Et in *subjeti* quidem, quod Baptismus est, enodatio-
ne, non est quod prolixius, cum uberrimè id ipsum à Nostro is
hactenus explicatum sit; hoc unum hîc observandum venit, quod
per Baptismum intelligamus non Baptismum *præcisè sumtum*,
prout à Baptismo fluminis, fluminis & sanguinis abstrahit, sed
solum Baptismum *fluminis* sive aquæ. Ad *prædicatum* a. anteqvàm
pergamus hoc etiam notandum videtur, quod *Chrîsta* præsens
de necessitate Baptismi non tam ratione *adultorum*, quàm *in-*
fantium accipi velimus. De illis namque credimus, quod ex Ver-
bi prædicati auditu fidem concipere Rom. X, 17. & consequen-
ter per fidem illam sine Baptismo, modò non adfit contemptus Ba-
ptismi, salvari possint: at de his aliter se res habet, siquidem a-
liud medium fidei in ipsis generandæ à DEO ordinatum esse in
Scripturâ nusquam dicatur: Item, quod *tempora V. & N. T.* pro-
bè sint discernenda: neque n. asserimus Baptismum V. T. tempò-
re fuisse ad salutem necessarium, sed tunc demum ejus necessi-
tatem capisse arbitramur, cum abrogatâ circumcissione Bap-
tismus in ejus locum successit ac institutus fuit.

§. 3. Jam quod ad τὸ καθήκον ipsum attinet observan-
dum est varias dari necessitatis species. Alia n. dicuntur necessa-
ria ad salutem *simplici & absolutâ*, alia *conditionali & hypotheticâ*
necessitate. Illo modo ea, sine quibus nulli ullo modo salus ob-
tingere potest; quo pacto gratiam DEI, meritum Christi & fi-
dem dicimus necessariò ad salutem requiri, sed Baptismum hoc
sensu necessarium neutiquam dicimus; Hoc v. modo *hypotheti-*
cè sc. & conditionatè ad salutem necessarium dicitur hoc quidem
in loco id, sine quo æterna salus ex hypothesi div. ordinationis
obtineri nequit; atque sicut media alia omnia salutis à Deo or-
dinata, ita & Baptismum necessarium dicimus: non quidem
ex parte ipsius DEI, sed *ex parte hominum*. Novimus namque
Deum non semetipsum, sed nos Sacramentis adstringere voluisse,
salvo omnipotentis & misericordis sue jure; ita ut *extraor-*
dinariè, quando nim. mediis ordinatis uti non possumus, fidem
nobis conferre possit. Atque inde etiam Doctores Ecclesiæ no-
stræ infantes ante perceptum Baptismum morte abreptos, vel
etiam

etiam in utero matris extinctos, ut & alios, quibus in casu extre-
mæ ac inevitabilis necessitatis saluari hoc salutis medio tingi
non contingit, æternæ damnationi non addicunt, sed parentes
benè de iis sperare jubent. *Ex parte nostrâ a.* sive hominum tan-
ta est Sacramenti hujus necessitas, ut nemo illud vel negligens
vel spernens æternæ salutis particeps fieri possit. Neque etiam
porrò de *præcepti* saltem necessitate hîc quæritur, nam & ipsi
Calviniani eam nobiscum profitentur atque agnoscunt; sed de
præcepti & medij h. e. tali necessitate, quâ dicuntur ne-
cessaria, quæ à legislatore aliquo necessitatem acceperunt, &
media sunt ad finem consequendum ordinata: h. e. sitne Bapti-
smus non à Deo mandatus ac institutus solùm, sed & efficax salu-
tis medium in N. T. hypotheticè ita necessarium, ut sine eo ne-
mo salvari possit, nisi vicem ejus extraordinaria Sp.S. operatio,
quoad parvulos, vel Verbum quoad adultos, suppleverit. Id
quod nos contra Sacramentarios intrepidè affirmamus.

§. 4. Unde ulterius liquet, quid de altero qs. quæstionis
nostræ membro sentiendum sit atque statuendum, *sinene liberi
fidelium ante Baptismum in gratiâ & fœdere D E I*, ut volunt Ad-
versarij, qui eos sanctos, fideles, Christianos nasci disputant, at-
que ad eò in fœdere & gratiâ Dei constitutos esse volunt. Quod
si n. de externâ saltem sanctitate aut puritate civili, quâ omnes
sancti dicuntur, qui spurij non sunt, loquerentur, non habe-
rent nos contradicentes, cum ipsimet omnibus, etiâ gentiliû li-
beris, è legitimo matrimonio prognatis talè sanctitatè largiamur,
imò ne *Ecclesiasticam* quidem sanctitatem fidelium liberis dero-
gamus, sed concedimus, eos præpaganorum liberis habere *ius
ad rem* s. aditum ad Baptismum, (licet eos nihilominus commo-
dè gentiles Germ. *Heiden* / appellari cum B. Balduino in Côm.
ad Gal. 11. f. 792. existimemus) Verùm n. verò hæc omnia non-
dum satisfaciunt Sacramentariis, sed *veram, internam ac spiri-
tualem* sanctitatem liberis fidelium adsignant, per quam non
modò *ius ad rem*, sed & *ius in re* habeant, Deoque placere & ac-
cepti esse possint: hoc n. est *esse in fœdere D E I, habere D E U M
propitium*. Ubi iterum observandum est, aliud esse loqui de

fœdere promisso, aliud de fœdere exhibito: Illo sensu è nostris etiam D. Pappus in Comm. A. C. p. 148. scribit, liberos fidelium ante Baptismum esse in fœdere Dei, quod Mastonius quidè part. III. Anatom. p. 279. in suorum sententiam trahere allaborat: sed nihil obtinet: cum de fœdere exhibito Calvinianorum verba accipienda sint, quod ex postea dicendis manifestum fiet. Nunc sequitur

Kalovon.

Leaf.

S. 5. His n. prælibatis utramque assertionem probandam sumimus, puta, & Baptismum ad salutem eo, quo diximus, modo nec essarium esse, & liberos fidelium ante Baptismum non esse sanctos aut in fœdere Dei. Priorem a. confirmamus 1. *Expresso Salvatoris testimonio Joh. III, 5. & f. ubi ad Nicodemum ait: Amen, amen dico tibi: Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu non potest introire in regnum DEI.* In quibus verbis observamus, 1. *Salvatoris scopum*, qui erat deductio Nicodemi ad viam salutis. Nam de eâ vel quæstionem à Nicodemo fuisse institutam ex ipsius Salvatoris responso colligimus cum *B. Chemn. in herm. h. l.* vel cum aliis dicimus, Salvatorem hanc eandem Nicodemi quæstionem prævenire, atque sic majorem in ipso fidem, cordium scrutatorem se exhibendo, accendere voluisse. Nicodemum itaque à Baptismi contemptu Pharisæis communi abducturus Salvator graviter primò omnium medii hujus necessitatem ad salutem inculcat. 2. *geminatum juramentum; amen, amen:* hac n. ad modum familiari sibi *asseverationis* formulâ atque *invariabilis veritatis & certitudinis* notâ animi ardorem rei que confirmacionem designare voluit Christus, ut observat de hac voce *P. Ravanelius in Thes. Script. S. f. 88.* 3. *Impossibilitatis terminum.* Sine regeneratione n. quæ fit ex aquâ & Spiritu quenquam ingredi posse regnum cœlorum, apertè negat Salvator, & *dixit*, inquit, *id est τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ*, non potest videre regnum Dei. 4. Denique *annexum argumentum;* Ne n. Nicodemus τῷ *Quomodo* rationis suæ pertinaciter obluantis adhuc τὸ *Quare* etiam adderet, placuit Salvatore causam statim subjungere hujus necessitatis: *Quod n. ait, ex carne natum est, caro est, q. d. Vos quidem Pharisæi Baptisma Johannis contempnitis, neque eo, cum possi-*



positis tingi vultis; at ego dico: Nullus ex vobis quam diu ta-
les, Baptismi puta Johannæi contemptores, esse perrexeritis, in-
gredi poterit aut videre regnum Dei, quia caro estis ex carne,
h. e. à parentibus peccato infectis nati peccatores. Caro pro-
inde purganda prius est, quam regnum Dei ingredi possimus. 1.
Cor. XV, 50. purgatur a. per lavacrum S. Baptismi, Act. II, 38. ade-
oque cum omnes simus caro de carne, nullus *à carnis* regnū
Dei ingredi poterit.

§. 6. *A BAPTISMO* dico, non negativè vel simpliciter non bap-
tizatum; obstat n. exemplum *tum* martyrum Ecclesiæ primitivæ
ante perceptum Bapt. morte abreptorum, *tum* latronis conver-
si in cruce Luc. XXIII, 40. quem cum à Baptismo necessitatis arti-
culus excluderet, fides cordis apprehendens Christum justificavit &
salvavit, ut loquitur August. l. IV. de Bapt. contra Donat. c. XXII.
Quod n. Cyprianus voluit, passionem ejus vicem Baptismi sup-
plevisse, id sine Scripturæ testimonio dictum certè est: Sed priva-
tivè h. e. talem qui cum possit baptizari, consilium Dei tamen
adversus seipsum spernit unà cum Pharisæis Luc. VII, 30. Sic n.
accipienda esse hæc verba jam olim tradidit Magister Sententia-
rum l. IV. Dist. IV. lit. E. Atq; iam ex dictis tale nobis fuit argu-
mentum: Quodcumque medium ipse Salvator Nicodemo ad sa-
lutis viam tendenti indicavit, ita quidem, ut ejus necessitatem
geminato juramento confirmârit, atque insuper hoc ipso medio
destitutum salutem consequi posse addito expressè impossibili-
tatis termino ac annexo argumento negârit, id omnino ad sa-
lutem est necessarium, non solum præcepti sed & mediæ necessi-
tate. Atqui de Baptismo qui est regenerationis ex aquâ & Spi-
ritu medium est verum prius, ut ex hæcenus dictis est manife-
stissimum. E. & postcrius.

§. 7. Sed quia Adversarii minorem non concedunt, nec
salvis suis placitis eam concedere possunt, hæc abs re fuerit ea
considerare, quæ ad hæc verba Johannis III. excipere ac repone-
re solent, imprimis etiam cum hic dogma hoc tanquam *in loco*
proprio sedem suam habeat. Ac in initio quidem in eo maximè con-
spirant, & manu qs. factâ pugnāt, ut evincant, Salvatorem hic
non loqui de Baptismo a qua. Hinc alii *aquam & spiritum* & *enym-*

quos pro eodem accipiunt cum antesignano suo Joh. Calvino l. IV. Inst. c. XVI. §. 25. Piscatore & Tossano in notis marg. alii per aquã intelligunt *Verbũ* cum Gualth. in Joh. hom. XVIII. alii *doctrinam Evangelicam, agnitionem Christi & consolationem fidei*, ut Zvingl. T. II. p. 69. alii *immensam DEI charitatem in Filio erga nos effusam per Spiritum*, ut Th. Beza in Annot. maj. ad Joh. I. V. 20. alii *renovationem cordis per Sp. S.* ut Bullinger. in Dec. serm. VIII, &c. Quibus detorsionibus potius quã interpretationibus omnibus nos præter *disertam Scripturã literam* aliorum distortũ *symphoniam* opponimus, scil. ex Act. XXII, 16. Eph. V, 26. Tit. III, 5, (ubi in postremo loco pari ratione regeneratio ab efficiente principali, Sp. S. & instrumentali sc. aquã describitur) additã totã *antiquitate orthodoxã*, quẽ B. Chemn. teste l. c. hunc locũ cum Johannæum simplicissimẽ de Baptismo aquã intellexit atq; exposuit.

§. 8. Sed videamus tamen quibusnam ex adverso fulcris glossæ Sacramentariorum innitantur. Calvinus, *nullo modo*, scribit, *adducor, ut credam, Christum de Baptismo verba facere: hoc n. fuisse intempestivum.* Quĩ sic a. Calvine? Quare non credis potius oportunẽ hĩc de Baptismo Salvatorem fuisse locutum? id certẽ scopus paulõ ante expositus te docere poterat. Allegat v. pro exegeſi adstruendã in l. IV. Inst. c. XVI. §. 25. è Matth. c. III, 11. Verũm, raptum abest, ut quicquam is locus pro Calvino faciat, ut nostra potius exinde confirmari possit expositio. Nam & ibi copula *naĩ proprium & nativum sensum* retinet, sequeretur n. aliã Apostolos in Festo Pentecostes non *Sp. S.* sed *nudo igne* fuisse baptizatos, aut *spiritualem tantũ ignem*, non ipsum etiã *Sp. S.* in Apostolos effusum esse; Ergõ dicendum, quemadmodum ibi vox ignis non est *Metaphorica* aut *exegetica*, sed denotat externum illud Symbolum in quo & per quod datus fuit Sp. S. videl. linguas igneas: ita & h. l. vox aquã non est *exegetica* aut *metaphorica*, sed denotat externum illud symbolum, per quod Sp. S. in Baptismo regenerationem efficaciter operatur: quã verba è Socin *proſt. Max. Rev. Dn. D. Præsidis, Dn Præceptoris, Patroni ac Hospitis mei æviternũm devenerandi*, Socinianizantibus hac in parte Sacramentariis opponere placuit, quem vide p. 847.

Neque juvat causam Calvinĩ, quod Joh. III. v. 6 & 8. folius Sp. S.

non

non a. simul aqua fiat mentio. Nam Resp. ex Ejusdem Max. Rev:
Ampl. Prelect. Publ. super h. l. cap. X. m. V. hoc fieri, quia Sp. S.
70 *oportet in Baptismo obtinet; medium aqua v. non excludi in il-*
lis locis, quippe quod iam supra fuerat requisitum.

¶ 9. Nihilò etiam solidior est ratio, quam P. Martyr affert;
nim. conjunctionem E T non semper utramq; partem necessa-
riò ponere, idque ut probet adducit Rom. X, 10. *Corde creditur*
ad justitiam & ore fit confessio ad salutem, atque inde porrò inferit:
Sicut non est par necessitas fidei cordis & confessionis oris: ita
nec aqua necessitatem è verbis Christi probari posse, sed suffice-
re, si adsit Spiritus. Resp. a. 1. ubiq; tenendam esse *propriam vo-*
cis cujusque significationem. 2. exemplum allatum esse incon-
veniens, partim quia Joh. III, copula in uno axiomate, Rom.
X. a. in distinctis est posita: partim etiam quia ibi conjungun-
tur causæ ad unum effectum ordinatæ; hinc v. causa copulatur cū
effectu. 3. Addo & hoc, in Græco textu non legi *70*, sed adver-
sativam *71*; imò si vel maximè admitteremus copulativam, esset
tamen argumentum à particulari, atq; nec sic V. C. 4. denique,
si hic exegesis statueremus, non modò manifesta Tautologia
Salvatori tribueretur; quia sic in v. 5. idem & nihil clarius dixis-
set, quàm antea in v. 3. sed & eadem facilitate loca reliqua eludi,
adeoq; omnis etiam præcepti necessitas everti posset, quam
tamen Sacramentarii ipsimet propugnant.

¶ 10. Ulterius v. II. confirmamus nostram sententiam à
div. mandato, atq; hinc accommodatissimus est instituto nostro
locus Marc. XVI, 16. *Euntes in mundum universum predicare Evan-*
gelium omni creaturæ. Credens & baptizatus salvabitur: ac non
credens condemnabitur: cum quo etiam conferri potest Matth.
XXII, 19. Atque hinc ita argumentamur: Q. Christus non
modò instituit & præcepit, sed & in salvandis ceu necessarium
requisivit, id utique ad salutem & præcepti & medii necessitate
est necessarium. Atqui de Baptismo verum est antecedens, E.
& conseq. *Major* suà radiat luce: Nam quæ Deus ipse ordinavit
ac mandavit, ea utilia & necessaria judicari debent, tamen si
quoad externam formam culmo stramineo videantur viliora.
Minor v. è locis allatis facillè confirmatur. Et de *præcepto* qui-
dem

dem ac mandato Christi clara sunt verba Matth. XXIII. Nam de Baptismo aqua Salvatorem loqui iterum nos non sinit dubitare expressa littera quæ ut nullibi ita nec hic est deferenda. Bernh. *serm.* a propriè est aqua tingere sive abluere, Luc. VII, 29. c. XI, 38. Job IX. 10. Accedit *et A postolica praxis. Et mandati bap. executio*, cum non saltem informarint, sed & baptizant Apostoli, ut ex Act. II, 38. c. X, 47. XI, 5. &c. constat. Finge a. *dotendi* saltem, non erit in baptizandi mandatum eos accepisse, & sequetur, eos limites officij sui esse transgressos, cum fuerint legati, quorum est omnia ad prescriptum atque imperium eius qui mandavit, agere. Quod v. ad salutem etiam Baptismum seu *medium necessarium* requisiverit, id Marcus c. XVI. docet. Ubi in posteriori membro *cautè quidem & vigilanter non reperit* Salvator. *Qui v. baptizatus non fuerit; sed tantum, qui non crediderit condemnabitur, innuens scilicet solum intendam fidem ad salutem sufficere & sine ipsa sufficere nihil*, ut loquitur Bernh. *Ep. LXXV II* ad Hug. at tamen in membro priori cum fide Baptismum requirit, ut utrumq; pariter necessarium esse doceret, si nimirum Baptismus haberi posset, atq; sic simul in impossibilitatis ac necessitatis casum digitum qs. intendere voluit. Unde manet, Baptismum ad salutem omnino necessarium esse, neque quenquam sine eo salvari, si solum necessitatis casum excipias, qui si quem excludat, extraordinario modo à Deo salvari talem arbitramur.

§. I. Plura quidem argumenta producere possemus, verum non tam numero quam pondere habitâ instituti ratione nunc militabimus, ac proinde his contenti alteram adsertionem nostram confirmandam sumemus. Ejus v. confirmationem petimus. *1. E dictis illis Scriptura* in quibus omnes in universum homines, solo Christo excepto, peccato originali à natiuitate imbuti esse dicuntur. *Quis n. dabit mundum de immundo conceptum femine?* Hiob. XIV, 4. & *annon quicquid ex carne natum est, caro est?* Joh. III, 6. His profectò verbis, apertè docere voluit Salvator non *gentilium* solum liberos extra Ecclesiam, sed & *israhelium* in Ecclesiâ natos, adeoq; in universum omne id, quod ex carne natum est, esse carnem, h. e. peccato contaminatum, atq; et. damnationis reum. Non n. ad Ethnicum hæc verba lo-

cutus

cutus est, sed ad Nicodemum, qui e populo Israelitico & posteritate Abrahami originem trahebat. Huc facit, quod Paulus *Ephr II, 3.* ait: *Eramus & nos naturâ filii* (non gratiæ, sed) *iræ*: ubi certum est, eum de Judæis loqui, Dixerat n. Rom. XI, 16. Si radix sancta: E. & rami. Ne E. intelligeretur Judæos naturâ sanctos esse, dicit: *Eramus & nos Judæi filii iræ sicut ceteri*; quæ verba sût *B. Chemn.* part. II. Loc. Th p. m. 251. b. Sic etiam de Adamo per Sp. S. jam renato & renovato *Gen. V, 3.* dicitur, quod *genuerit filium ad imaginem* (non Dei in justitiâ & sanctitate consistentem, sed) *suam* i. e. peccaminosam ac corruptam. Et David deplorans peccatum homicidii & adulterii *Ps. LI. 7.* fontemq; hujus facinoris indicaturus, iniquitatem à parentibus sibi congenitam accusat: *Ecce, inquit, in iniquitate formatus sum, & in peccato fovit me mater mea* Hic qs. affirmat, se non ex eo solum facinorem & peccatorem esse, sed ipsos infantes etiam afferre secum peccatum, cum in lucem eduntur, imò ipsam massam totam esse vitio corruptam, etiam eam è quâ fidelium liberi formantur: ipse n. è circumcisis & piis parentibus natus erat. Arguentamur proinde hunc in modum: Quicumq; de immundo semine, caro de carne, & ad imaginem per lapsum corruptorum generati sunt, adeoq; filii iræ & cum peccato nascuntur, illi sunt immundi & à nativitate nequiquam sancti, vel in gratiâ & fadere Dei constituti. At de omnibus in universum infantibus, non exceptis fidelium aut sanctorum liberis, verum est illud, ut è dictis liquet. E. & hoc.

§. 12. Deinde confirmamus id etiam è *Baptismi necessitate*. Jam modò adfertâ, indeque iterum colligimus: Q. indigent regeneratione, ita quidem ut sine eâ tanquam carnales regnum Dei videre non possint, illi non possunt à nativitate sancti, aut in gratiâ s. fadere Dei esse. Jam v. omnes secundum naturam propagati indigent regeneratione, ita quidem, ut sine eâ regnû Dei videre non possint. E. Major inde confirmari potest, quia regeneratio nihil est aliud, quàm purgatio & mutatio à peccatis *Eph. V, 7.* A. & *XXII, 16.* Nihil aut immundum ingredi potest regnum Dei, docente Apostolo *1. Cor. XV, 50.* Ante factam g. peccatorum remissionem nemo mortalium sanctus, aut DEO

gratus dici potest: nisi quis velit cum Pelagianis elevare peccatum originis, quod facit tota Sacramentarium factio, negans infantes ex fidelibus natos reatu irę div. obstrictos teneri, etiam priusquam Christo per Baptismum inserantur, sed ex adverso asserens, reatum illum per promissionem parentibus datam tolli: Inde Baptismum signum solum esse dicunt, quia reatus jam ante solutus & ablati sunt ex ipsorum mente, de qua postea dicemus.

§. 13. Denique III. producimus Tertull. in Apol. c. XVII. *Fiunt, inquit ille, non nascuntur Christiani. Quorum verborum sensum hunc esse agnoscit Amesius Tom. III. Bellarm. Enerv. l. II. c. 1. p. 62. quod non corporalis sed spiritualis nativitatis virtute fiunt Christiani.* August. etiam l. III. de P. M. & R. c. IX. *Quid, ait, respondetis, quare de Christianis non Christianus nascatur, nisi quia non facit generatio, sed regeneratio Christianos: Sc. VIII. Quomodo preputium quod per circumcisionem aufertur manet in ijs quos genuerunt circumcisi? Quomodo & palea quę tantę diligentia opere humano separatur manet in fructu, qui de purgato tritico nascitur? Quid quod ipse P. Martyr vi veritatis motus in c. VII. Ep. 1. ad Cor. fol. 175. scribit: Ex quo (dictum Joh. III. respicit) patet, si renasci oportet, nos in peccatis natos esse. Si jam in peccatis nati sumus, quomodo etiam sancti & in gratia, cum propter peccatum filii irę simus naturę? Nec aliter B. Aretius part. I. Probl. VII. p. 88. *Alia, inquit, est ratio vitii quod in naturam transit, quã sit beneficii Christi, quod precarium est & plane gratuitum. Naturalia non est mirum naturaliter transmitti: sic homo hominem peccatorem, leprosus infectum generat. Remissio a. peccati cum non sit natura, sed gratia div. non potest naturaliter transfundi Sc. Tanta sc. est vis veritatis divinz!**

Ανασχευν.

§. 14. Strenuè tamen se hic opponunt Sacramentarii & admodum perversè de utraq; adsertione hac & sentiunt & loquuntur. Non n. infantes suos baptizant, quod Baptismum ad regenerationem eorum necessarium esse putent, sed quia piè de eorum electione presumendum esse arbitrantur, ut habet Confess. Helvet. Summ. Art. XXI. in Syn. Conf. p. 70. Hinc Zwingliõ Tom. II.

p. 96. *Baptismus parvulorum externum quiddam & ceremoniale est, quo ut aliis rebus externis Ecclesia dignè & honestè uti possit, vel idem hoc omittere & rite tollere, quatenus ipsi ad adificationem & salutem omnium facere videtur. Sic & Henricus Altingius in Expl. Cat. Palat. part. II. p. 316. Utrumq; scribit, necessarium est ad salutem, Baptismus & fides, d. dispari necessitatis gradu; Fides necessaria est necessitate medij Hebr. XI, 6. Baptismus necessarius est necessitate praecepti, propter mandatum DEI, cui parendum est iis, quicumq; copiam ejus habere possunt. Itemq; Perkinsus in Catech. p. m. 611. Baptismus ex parte tantum requiritur, propter mandatum DEI &c. addit tamen, Baptismi contemptum esse tale peccatū, quod remitti possit si serio de eo respiciamus & lamentemur. Ingenue v. Anton. Sadeelse, ait, fateri, non esse suam & sociorum suorum sententiam, si quis dicat, Baptismum esse ad salutem necessarium. En egregios Sacramenti hujus aestimatores!*

§. 15. *Mirum a, non est adeo contemptim Sacramentarios de Baptismo loqui, cum vix possint aliter, utpote ab alio prorsus principio & decreto salutem deducentes. Quā de causā etiam, nunc argumentis eorū quibus Baptismi necessitatem impugnare solent, vel producendis, vel refutandis non immorabimur, cum vel contra simplicis necessitatis propugnatores Pontificios directa sint, cum quorum sententiā ineptè orthodoxiam nostrā confundit Henr. Alting. part. II. Loc. Comm. p. 602. vel horrendo absolutæ Prædestinationis decreto, vel impiæ Baptismi internæ ab externō divulsioni, vel deniq; fidei ac in cerebro Calviniano natae foederali gratiæ, quam à nativitate liberis fidelium competere somniant, innitantur, quæ omnia tamen falsa ac erronea esse Sacramentariorum insinuat, tum alibi à Nostris demonstratum, tum in sequentibus uberius demonstrandum est. De hac v. jam dicemus.*

§. 16. *Quoniam a. pro palliando hoc suorum errore hæc parum desudant, Keckermannus, Pareus, Crocius, alique, unum atque alterum testimonium ex ipsorum adversariorum, scriptis adducendum erit. Ita v. Confess. Helv. Art. XX. p. 47. mentem ipsorum explicat: Juxta doctrinam Evangelicam horum (infantulorum recens natorum à fidelibus) est regnum DEI & sunt*

in fœdere DEI, cur itaq; non daretur eis signum fœderis DEI? cur
non per S. Baptisma initiarentur, qui sunt peculium & in Ecclesiâ
DEI? Hic repetimus è §. 4. quod non loquantur de fœdere pro-
misso, sed exhibitio. Dicunt n. eos esse in Ecclesiâ. Sed in Ecclesiâ
nemo nascitur, cum præter cætum baptizatorum in his terris
nullibi extet Ecclesiâ. Confer. *Calv. l. IV. Inst. c. XV. §. 20, 21. & c.
XVI. §. 24. Beza Resp. II. ad Acta Coll. Montisb. p. 102. Perkins. Ca-
tech. p. 619.* Quid quod ipse *Grocus d. IX. contr. Mentz. th. LI.*
p. 186. scribit quidem, *liberos fidelium à nativitate externâ sancti-
tate sanctos esse, sed satis se tamen expectoratur, dum eos ab utero
Christianos esse dicit, imò sanctitatem eam cum electione & fœdere
DEI subinde conjungit. Pareus v. pariter eò magis se implicatur,*
quò magis nititur se explicare; Scribit n. in *Irenico p. 262. liberos
Christianorum nasci Christianos sicut Judæorum nascuntur Judæi;*
item, *eos nasci in fœdere & esse cives Ecclesiæ: nec non in Rom. XI,*
*p. 143. affirmat eos nasci ex sanctis sanctos sicut cives ex civibus, li-
beri ex liberis, servi ex servis nascuntur. Quis jam dubitaret veram,*
*internam, spiritualem ac salutarem sanctitatem liberis fidelium à
Sacramentariis adsignari? Qui n. taliter sanctitatem liberis fi-
delium per carnalem nativitatem competere asserunt, qualiter
Judæorum liberi ad Judaismum, civium ad jus civitatis, & libe-
rorum ad libertatem pertinent, quod à Pareo fieri modò audi-
vimus; illi certè internam & coram ipso Deo valentem sanctita-
tem iisdem denegare non possunt, cum omnes hi non potentiam
modò habeant acquirendi jus vel civitatis vel libertatis, sed actu
ipso tales sint, sicut & è servis nati actu servi sunt; Vid. omninò
B. Bald. in Comm. ad I. Corinth. f. 493. ubi ea, quæ Pareus pro emol-
liendâ hac suorum heterodoxiâ allegavit, in eodem Commento
solidè discussa ac profligata sunt. Unde & singula hîc repetere
nolumus.*

§. 17. Reliquum jam est, ut *seu de Deumelia Sacramentario*
rum perlustremus. Multa quidem cumulavit Masson. par. III.
*Anatom. c. XL. Nos v. potiora tantùm in præsentiarum exami-
nabimus, atq; ea imprimis quæ è Scripturâ S. de promere con-
sueverunt. Inter ea Imum habetur Gen. XVII, 7. ubi DEUS A-
brahæ promittit se fore DEUM ipsi & semini ejus post eum; inde in-
ferunt,*

ferunt, infantes esse sanctos & in fœdere Dei, Conf. *Perkins. l. d. p. 611.* Sed Resp. 1. Promissionem illam non esse *absolutam*, ac proinde & fœdus illud ad infantes *simpliciter & absolute* non spectare: sequeretur n. aliâs omnes posteros Abraham in gratiâ & fœdere Dei esse; quicquid tandem agant. Cum itaq; promissio illa *sub conditione circumcissionis* facta sit, ut è v. 10. & 14. liquet, ubi Deus jubet circumcidi omne masculinum, *hoc est*, inquit, *fœdus meum inter me & vos & semen tuum post te, quod servabitis &c.* hinc malè colligunt Sacramentarii, q̄s. Deus promiserit se recepturum esse semen Abraham in fœdus gratiæ ob generationem carnalem: quin potius minatur etiam excisionem v. 14. si non impleverint conditionem annexam fœderi. Sicuti igitur in V. T. etiam fidelium & circumcisorum liberi excindendi erant ob neglectum fidei conferendæ medium: ita etiam in N. T. ad fœdus illud non pertinent Baptismi contemptores. Id innuere voluit *Petrus Act. II, 38. 39.* Jubebat n. Judæos respiscere & baptizari, ut doceret, eos tum demum in fœdus à Deo promissum recipi, si in Baptismo spondeant, se nullum Deum alium agnoscere aut colere velle, præter eum, in cujus nomen fuerint baptizati. 2. *In fœdere DEI esse* duobus modis accipi potest; vel n. idem est ac *habere aditum ad fœdus Dei*, atq; sic non negamus infantes fidelium esse in fœdere Dei: vel est idem *quod actu ipso in fœdere Dei contineri*, & sic negamus infantes fidelium ab utero esse fœderalis gratiæ participes, quia non prodest *promissio*, nisi fiat applicatio. Conf. §. 4.

§. 18. Alterum habetur *Rom XI, 6. Særadix sancta & rami sancti erunt.* Hic per *radicem* parentes, per *ramos* v. infantes intelligunt, atq; inde concludunt, liberos fidelium hic sanctos appellari ob nativitatem ex sanctis parentibus. Resp. a. 1. *Sanctitatem* h. l. non notare *internam* sanctitatem in remissione peccatorum consistentem vel ab eâ redundantem: nam & sic dicendū esset, omnes Judæorum liberos naturâ sanctos atq; actu in fœdere Dei fuisse, quod tamen dilertè negat Paulus v. 17. 2. Negamus per *radicem* h. l. quosvis parentes fideles intelligendos esse: loquitur n. Paulus de *solis patriarchis & majoribus* Israelitarum, quod è scopo est manifestum. Propositum n. Ipsi erat ostendere, Deum

um non universum populum Judaicum ita repulisse, ut nullus
impoliterum salvari possit, sed eos posse iterum inferi, si modò
credant: hoc ut evincat infert è foederali promissione: si radix
s. Patres vestri salvati fuerunt, & tamen non iis solis sed & vobis
ceu liberis eorum promissio facta est, sequitur & liberos sive ra-
mos salvari posse: an v. ex generatione carnali? Non dicit hoc
Paulus: Unde Ergò? si crediderint, sicut Patres ipsorum. At si
des accenditur per Baptismum ordinariè in N. T.

§. 19. Urgent II l. è I. Cor. VII, 14. *Liberi vestri sancti sunt.* Resp.
Apostolum iterum hic non loqui de sanctitate *internâ s. spiritali*,
li, d. Ecclesiasticâ, ut sensus sit: Liberi nati è personis quarum
altera fidelis, altera infidelis est, non sunt ob infidelitatem illâ
ab Ecclesiâ repellendi, sed ut mundi ad eam admittendi, Hic
n. sensus è verbis antecedentibus citra pulveris jactum colligitur.
2. Posito etiam de *internâ sanctitate* verba fieri, nondum ta-
men sequeretur, quod placet Sacramentariis, sed adhuc pro-
bandum esset, Apostolum loqui de infantibus, quales sunt à
nativitate & ante Baptismum. Nam & hic Apostolus non desi-
nit, unde sanctitas illa ortum trahat.

§. 20. Producent IV. *exempla ab utero sanctorum*; utpote 1.
Davidis Psal. XXII, 11. 2. *Jeremiae c. 1, 5, 3.* 3. *Johannis Bapt. Luc. I, 15, 4.*
Christi: hunc n. dicunt per Baptismum non demum factum, sed
saltem declaratum esse Filium Dei. Resp. ad 1. Putidam esse *Calvi-
ni Judaizantis* glossam, quâ Ps. hunc & alios multos de Davide
exponit, cum tamen in hoc Christum in cruce patientem loqui
ex allegatione Matth. XXVII, 46. & Marc. XV, 34. manifestum sit,
id quod & apud Christianos omnes extra controversiam positum
esse debere piè monet *D. Egid. Hunn.* in *Calv. Judaiz.* p. 128. &
merito *Hieronymus* impios appellat eos, qui ex Davidis vel al-
terius personâ hunc Ps. dictum esse autumant. ad II. *Id sanctifica-
re* ibi significat à communi usu *separare* & ad munus quoddam
obeundum *destinare*; ut fatetur post *Bullingerum P. Ravan.* l. c. f.
530. Quo sensu de Christo dicitur, quod Pater ipsum *sanctificâ-
rit* Joh. X, 36. h. e. ad munus Mediatorium destinârit. ad III. In-
vertendo illud, Si n. Johannes in utero repletus fuit Sp. S. quam-
vis & id singulare atq; extraordinarium fuerit: E. non fuit san-
ctus

Atus ob sanctitatem suorum parentum : ad I V. idesse planè im-
pertinens. Quærimus n. non de *θεανθρώπων*, sed de *ψιλῶν ἀνθρώ-
ποις* : non de eo qui per *ἐπέλευσιν πνεύματος ἁγίου* est natus, Luc.
I, 35. sed de iis qui ex virili semine propagantur : non de *sancto
sanctorum* qui est *ἀναμάτητος* ; sed de hominibus peccato origina-
li infectis.

§. 21. Tandem V. allegant *periculum damnationis*. Resp. Id
periculum nobis esse nullum, ut in *παροχενῶν* fuit expositum ;
quia, dicente *Bernardo*, non *privatio sed contemptus Sacramenta-
rum damnat*. 2. Si quicquam hoc argumentum obtineret, se-
queretur, omnes infantes fidelium ab utero sanctos, & in gratiâ
f. fœdere Dei esse, quod tamen ipsi Sacramentarii non concedūt.
Temerarium n. se haberi posse scribit *P. Martyr*, si omnibus pueris *san-
ctum absq. Sacramento* decedentibus id (nim. eos esse in fœdere
Dei & salutem consequi) polliceatur. Atq; hæc de Q. I. sufficiant.
Succedit

QUÆSTIO II.

Utrum infantes gratiam regenerationis

consequantur per Baptismum nec ne ?

Παροχενῶν.

§. 1. Expositâ jam satis Baptismi *necessitate* ad *efficacia* ejus-
dem *salutaris* considerationē accessum facimus, præcipuè *quan-
tum infantes* attinet. Nam de *adultis*, qui vel ex gentilismo vel
Judaismo ad Ecclesiam perducendi sunt, concedimus, eos in-
formandos prius esse, quàm baptizentur, ac proinde cum per
Verbum jam regenerati sint, Baptismum ipsis non demum con-
ferre, sed obsignare & confirmare gratiam regenerationis, exi-
stimamus. Licet etiam Deus in iis omnibus salutarem hunc ef-
fectum per Baptismum producere intendat, tamen quia vel hy-
pocritæ esse, vel per incredulitatem Sp. S. obicem ponere pos-
sunt, non possumus de effectu hoc in illis certi esse, nū regene-
rentur nec ne. Atque hoc sensu *B. August. l. II. contra Perilian*. Ba-
ptismum adultorum incredulorum appellavit *lavacrum regene-
rationis*, idque non *significativè* tantum, sed *exhibitivè*, respectu
E. oblationis non collationis divine. De *infantibus* aliter sese res
ha-

C

habet, quippe in quos nec hypocrisis cadit, nec oblectatio aut incredulitas actualis, unde eos omnes credimus *gratiam regenerationis* consequi per Baptimum.

§ 2. *Regenerationis* a, vox diversimodè accipi solet, ut probè observârunt *Autores F. C.* p. 685. è quorum verbis quædam hîc repetere non pigrabimur. Sic a, illi: *Vocabulum Regenerationis interdum in eo sensu accipitur, ut simul & remissionem peccatorum (quæ duntaxat propter Christum contingit) & subsequenter renovationem complectatur, quam Sp. S. in illis, qui per fidem iustificati sunt operatur, &c. Deinde etiam regeneratio sæpè pro sanctificatione & renovatione (quæ fidei justificationem sequitur) usurpatur.* Nos a, quantum ad præsens negotium attinet, hîc eâ voce non in posteriori, sed priori significatione utimur, ita ut non exclusam hîc planè velimus *renovationem*. Quanquam n. accuratè loquendo renovatio à regeneratione strictè sic dictâ distincta sit, tum *ratione termini à quo*, qui in regeneratione est mors spiritualis, quatenus formaliter ea dicit carentiam fidei salvificæ: in renovatione v. est dominatus peccati s. carentia sanctitatis: tum *ratione termini ad què*, qui ibi est fides salvifica, quæ renato est id, quod anima corpori naturali; hîc a. sanctitas, quæ fidem consequitur, & se ad fidem habet, ut facultates animæ ad animam: tum etiam *ratione subjecti ac modi operationis*: Nam regenerationem operatur solus Deus in homine incredulo; at in renovatione homo in vetustate carnis adhuc constitutus, per vires à Deo sibi collatas, cooperatur: Attamen *ratione temporis* conveniunt & indivulso nexu cohærent, ita ut eo ipso temporis articulo, quo homo regeneratur etiam renovari incipiat. Quia igitur *nemo in hoc baptizatur, ut Princeps evadat* secundum *B. Lutherum in Catech. Maj. p. 539.* vel *ut sordes corporis deponat* dicente *Petro I. Ep. III. 21.* verum, *ut salvus fiat*, hinc talem effectum regenerandi Baptismo derogare non possumus.

§. 3. Quantum v. ad modum producendî & operandi hunc effectum spectat, omninò distinguendum hîc esse putamus inter aquam Baptismi consideratam *merè materialiter & ratione facultatis suæ naturalis*, quam ex se habet, in quantum est res physica, aut naturali actione absolvitur, nam sic ultrò scâtemur ei nõ

com.

competere virtutem regenerandi; & deinde inter eandem aquã
Sacramentaliter consideratam atque ex peculiari *ordinatione Dei*,
in quantum fit organon Spiritus S. & conjuncta est verbo Dei,
hoc n. respectu dicimus eam in primã sui institutione à Deo ac-
cepisse vim quandam supernaturalem illuminandi intellectum,
corrigendi voluntatem, accédendi & confirmandi fidẽ, delendã
peccata, liberandẽ potestate Satanã, atq; donandi vitam & sa-
lutem æternam; atque hoc ipsum præstat non *metonymicã* saltem
aut *Sacramentali* causalitate, quã sensu Calvinistico per *testifi-
cationem* ac nudam *obsignationem* explicanda est; sed *verã*, *pro-
pria* & *reali* causalitate, quã & applicandi & conferendi vim obti-
net, quẽque in specie dicenda est *organica* sive *instrumentalis* cõ-
tradistincta actioni causã *principalis*, non tamen ab eã planẽ
divisa, cum *principalis* ac *instrumentalis* causã una ac indivisa sit
actio. Ubi tamen & hoc accuratẽ & sollicitẽ cavendum esse mo-
net *B. Chemn.* quando de *Sacramentorum* virtute & efficacĩã dispu-
tamus, ne ea quã propria sunt gratiã Patris, efficacĩã Sp. & meritũ fi-
lii Dei, Deo adimamus & ad *Sacramenta* transferamus: hoc enim
esset crimen idololatriã: neq; *Sacramenta* adjungenda sunt merito
Christi, gratiã Patris & efficacĩã Spiritus tanquam causã adjuvantes
sẽ partiales: idem n. hoc esset crimen & c. part. II, Ex. C. T. p. m. 36. ubi
prolixẽ & ut omnia, solidẽ hoc exposuit. Manifesta itaque est
cavillatio adversariorum cum nos gratiã Sacramentis alligare
clamitant, prouti *Bucanus* statum controversiã hoc modo for-
mavit, *an gratiã alligata sit Sacramentis*, loc. XLVI. Q. LIX. Nul-
lo n. modo hoc nostrã sententiã consonum est. Nam nostra fi-
des in usu Sacramentorum haut quærit aut respicit essentialẽ
aliquam virtutem s. efficacĩã ipsis externis elementis inhere-
ntem, sed in *promissione*, quẽ Sacramento annexa est, quærit, ap-
prehendit & accipit gratiã patris, meritum filii & efficacĩã spiri-
tus, quã iterum verba sunt *B. Chemn. d. l.* Atque his ita se habenti-
bus obscurum amplius esse non potest, quid hĩc propriẽ in disce-
ptationem veniat, hoc nim. an Baptismus sit efficax medium
atq; organon à Deo ordinatum quo infantes omnes ac singuli
regenerationis gratiã consequantur in ipso Baptismi actu, non

a. demum in adultate? Ubi nos tuemur Affirmativam, Calviniani v. Negativam. Illud jam docebit

Κατασκευή.

§. 4. Confirmamus a. sententiam nostram i. è *Scripturâ S.* in quâ docemur Baptismum esse efficax medium regenerationis *disertis & claris verbis (a) Ipsius Salvatoris tum Joh. III. 5.* Nam ibi de Baptismo verba fecisse Salvatorem supra Q. II. evicimus: hic modò observamus, quod quemadmodum è carne nati per & propter illam nativitatem à regno Dei excludantur: ita è contrario ex aquâ & Sp. renatis aditus pateat ad regnum Dei per & propter illam regenerationem spiritualem: *tum Marc. XVI. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit salvabitur* h. e. à peccati, mortis & Diaboli tyrannide liberabitur, in regnum Christi deferetur, & cum eo vitamaget immortalem. Hoc n. est salvum fieri interprete *B. Luth.* loco ante cit. Hinc tale necimus argumentum: Quicquid est organon per quod in regnum Dei introire & salvi fieri possunt eo ritè utentes, id ipsum etiam est efficax regenerationis medium. Regeneratio n. adeptionem salutis necessario præcedit non dissentibus ipsis Sacramentariis. Atqui Baptismus est ejusmodi organon per quod omnes, adeoq; & infantes, ritè eo utentes in regnum Dei ingredi *Joh. III. 5.* & salvi fieri possunt, *Marc. XVI. 16.* Ergò. Cur n. salutaris hic effectus quoad infantes Baptismo derogandus sit causam nullam allegare possunt sacramentarii, cum tamen pro iis faciat hoc, quod Sp. S. reluctari aut gratiose ejus operationi resistere per actualem impotentiam non possint.

§. 5. Porro idem testantur verba (c) *Pauli Tir. III. 5.* inquit: *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis in Sp. S.* In quibus verbis Apostolus compendiose tractat universum salutis nostræ negotium, proponens non tantum causâ efficientē principalē Deū s. SS. Trinitatē. Sed & instrumentale ex parte Dei sc. Baptismum, quē appellat non signum (ut rectè observat *Zanchius in Conf. p. 169.*) sed lavacrum & regenerationis, quia per eum renascimur, ut simus filii Dei, & renovationis. Nam Sp. S. per exteriorem illum lotionis ritum tanquam per instrumentum interius in corde hominis baptizati operatur, ut amissa per Adamum sanctitas & justitia restauretur, & novus homo re-

sur-

furgat: addit a. in Sp. S. ut doceat, aquam simplicem ejus virtutis non esse, sed hanc efficaciam ipsi propter adjunctum Sp. S. comperere. Aperta proinde est horum verborum depravatio, cum *Piscator in Anal.* hujus Epist. ea sic resolvit: Δια λουτρῶ πνευματικῶν ἀνακαθάρσεως πνεύματος ἁγίου h. e. per regenerationem & renovationem Sp. S. tanquam lavacrum. Præterquam enim quod geminum salutis medium fingit, & cum Papiolis renovationem causam salutis constituit, aliam prorsus mentem Apostolo affingit, ut cuivis patet: imò insuper ἀπεκαθάρσεως allegat, atq; cum his confert è Rom. IV, ii. verba: *signum accepit circumcisionis*: quippe in quibus de Circumcisionis substantiâ quaeritur, hic v. de sine & salutari efficaciâ Baptismi sermo est. Missâ g. hac detorsione τοῦ πηλοῦ retinemus, atq; inde colligimus: Quia Baptismus est lavacrum regenerationis & renovationis, E. infantes etiam per illum regenerantur. Rationem damus hanc: Quia quod Baptismo in genere competit, id quoq; PædoBaptismo in specie.

§. 6. Addimus (γ) verba *Petri è 1. Epist. III, 21.* ita colligentes: Per quodcumq; à sordibus peccati ita mundamur, ut in foedus gratiæ à Deo recepti in filios ejus adoptemur, illud est efficax regenerationis ac salutis medium: hæc n. illam præsupponit & prærequirit Joh. III, 5. Atqui Baptismus hoc præstat. E. *Major* extra controversiæ aleam est posita, *Minor* à Petro confirmatur I. c. ubi certè non loquitur de Baptismo, quo sordes corporis abjiciuntur, sed qui est ἐπερωτημα ἀγαθῆς συνειδήσεως, quique nos servat ad eum modum, quo aqua diluvii elevando arcam Noachum & reliquas arcæ inclusas animas à presenti inundationis periculo liberavit, h. e. non *symbolicè* aut *significativè* tantum, sed *effectivè instrumentaliter*. Unde frustra etiam *Calv. l. IV. Inst. c. XV. §. 2.* hæc verba eludere conatur, dum scribit, *Petrum non voluisse significare aquâ purgandi, regenerandi, renovandi virtutē in se continere, sed hoc, Baptismum obsignare tantum nuntium nostræ ablutionis & sanctificationis per Evangelium nobis allatum &c.* Nullibi hic docet Petrus: & falsum prorsus est, quod præsupponitur, Baptismum nim. ut & reliqua Sacramenta obsignandi saltem vim habeat, imò *primarium, principalem, & adequatum* eorum finem

in significando positum esse : vel exinde hoc evetti potest, quod significare spirituales ablutionem omni aque, etiam extralum Baptismi competere possit. Qui igitur erit officium Sacramentale aquæ in Baptismo?

§. 7. Confirmamus eandem II. de *Sacramentorum N. T. natura*. Cum n. tria ad Sacramentum requirantur, 1. *Verbum mandati*, institutionis. 2. *elementum externum* cum re celesti unitum & 3. *verbum promissionis div.* de gratuitâ peccatorum remis. aliisque bonis, quæ omnibus & singulis offerri, fide a. Sacramento utentibus exhiberi, conferri & applicari debent, non est cur quicquam horum Baptismo denegare velimus, cum *quicquid generi competit omnibus ejus speciebus commune esse oporteat*. Ac proinde cum Baptismus sit actio divinitus ordinata, cui ipse DEUS perpetuò assistit, hinc operationem ex div. ordinatione & institutione sibi competentem semper producit, nisi malitiâ actuali impediatur, quæ quia in infantes non cadit, inde manet Baptismum esse medium conferens illis gratiam regenerationis Id v. inde porro liquere potest, quod Sacramenta N. T. non sint *typi, adumbrationes, aut significationes*, sed cum virtute exhibeant atq; offerant ipsû Christû, ejusq; beneficia: cû V. T. Sacramenta ipsum Christum non exhibuerint, sed *præfigurârunt & venturum prænuñciârunt*. Erant n. non tantum *media* gratiam exhibendi, sed simul *typi, figura & umbra*. Tanto certior est Sacramentorum N. T. efficacia atq; virtus! Hinc redè *Lutherus T. VI. Jen. f. 182.* scribit, *DEUM nomen suum aque in Baptismo adjungere, ut possit aqua Deificata aut div. vocari; non quod aqua sit ipse DEUS, sed quia per eam DEUS tantas res efficit, ut jam non sit aqua potationis, sed sanctificationis juxta Basil in Ps. XXII, adeoque regeneratio & mundatio de eâ non operantur solum, sed verè etiam & operantur prædicetur, ut agnoscit *Marlor. in Eph. V.* Quò facit etiam quod alii Calviniani haut inviti largiantur Sacramenta obfigurare gratiam, & esse *signa Practica*. Quomodo a. obfigurare poterunt gratiam, si eam non exhibent, cum obfiguratione non sit nisi rei exhibitæ? aut quomodo poterunt dici *signa Practica*, si div. gratiam tantum *significent*, nec præter significationem*

rei

revera aliquid efficiunt? Verum de his plura suppeditabit

Ἀποκρυφί.

§. 8 Nam & hic diversum à nostrà sententià statuunt Sacramentarij, quippe quibus Bapt. non est *efficax regenerationis medium* aut gratiæ div. vehiculum, quo omnes infantes regenerentur in ipso actu Baptismi, sed *nudum duntaxat signum s. symbolum*, quod regenerationem & gratiam Dei electis obsignet. Hinc usum hunc ceu *primarium & precipuum* Sacramentis assignavit *Confessio Palatini* in Synt. Conf p. 150. quod nim. *sine sigilla & testimonia voluntatis & gratia DEI erga nos*: imò & reliquæ ipsorum *Confess. publicæ* aliū finem Baptismo non adsignant, quàm vel *testificationem*, vel *significationem*, vel *obsignationem remissionis peccatorum & interioris ablutionis*, at de *regeneratione* alium ubiq; est silentium, prout videre licet in *Confess. Helvet. art. XX. p. 46. Gallicâ Art. XXXIX. p. 86. Anglicâ p. 93.* &c. ut rectè unò animi omnium Tridentinorum voce hæc sententià, *Sacramenta nihil aliud esse quàm signa*, pro *Zwinglii* doctrinà agnita fuerit, referente *P. Suav. in hist. Conc. Trid. p. 270.* Neq; n. sanior mens *Galvino I. IV. Inst. c. XV. §. 2. & 22.* vel *Beza*: hic n. *palpabilem* nō modò errorem è *faridis Scholasticorum lacunis haustum* appellat, quod *vim conferendæ gratiæ principalem DEO, instrumentalem v. Sacramentis tribuamus*, sed & *idololatriæ postulat Ecclesias nostras vim regenerationis aquæ adscribentes*, in *Coll. Momp. p. 433. & p. 485.* suum *Probabiliter* ingeminat, cum scribit: *Respondeo infantes Baptismo aquæ adspersos PROBABILITER, Probabiliter, inquam, censeri filios DEI, sed renovari eò tempore quo baptisantur, absurdum esse putamus adserere.* Planè profectò ad mentem *Smalzii* contra *Franz. de Bapt. p. 311.* Etiam si proinde *Malè-Reformati Sacramentarii* videantur quandòq; nobiscum loqui de salutari effectu Baptismi, semper tamen ὑπερόν τι φοvent. Prodeat jam solus *Wendelinus*: is certè l. 1. *Theol. Christ. c. XXII. th. XIV. p. 361.* speciosè fati scribit, *principalem Bapt. finem esse obsignare & Sacramentaliter præbere remissionem peccatorum, regenerationem &c.* Verum n. verò omnia in mera signa significantia resolvit, cum paucis lineis interjectis addit: *Non omnes infan-*

tes in ipso Baptismi externi actu & per hanc ceremoniam externam fide in Christum donantur & regenerantur & c. Quoniam v. ibidem hoc ipsum argumentis non paucis stabilire conatur, quid ea in recessu habeant, nunc dispiciemus.

§. 91. Imum à praxi Apostolorum petium in formâ esset tale: Si Apostoli non baptizârunt nisi eos qui jam actuerant fideles, vel ex iudicio charitatis pro verè fidelibus habebantur, sequitur Bapt. non fuisse organon regenerationis, adeoq; nec hodie tale organon erit. Rationem dat hanc; Quia effectus non est prior causâ. Prius a. verum esse probat Exemplis Lydiæ, Cornelii & c. & testimoniis Scripturæ Act. II, 41. c. VIII, 12. & 37. Ergò verum etiam posterius. Resp. 1. Majorem non esse simpliciter veram, etiam si ponamus Apostolos solos adultos baptizâsse: nihil n. hoc efficacix Baptismi derogaret, sed maneret nihilominus efficax regenerationis medium vi div. ordinationis. Unde nulla etiam est, quam adducit, ratio consequentiæ. 2. Minorem itidem negamus. Et quod ad loca à Wendelino allata attinet, ea docent quidem adultos baptizatos esse, sed solos eos exclusis infantibus fuisse baptizatos, non dicitur, alibi v. Scriptura testatur, quod Apostoli integras familias baptizârint, ut Act. XVI, 15. 1. Cor. I, 16. E. utiq; etiam infantes baptizâsse illos est verosimile, quod & ipse Calv. inficiari non audet, unde I. IV. Inst. c. XVI. §. 8. scribit: *Esi id nominatim ab Evangelistis non narratur, quia tamen neq; rursus excluditur quoties familia alicujus baptizata incidit mentio, quis inde nisi insanus ratiocinetur, non fuisse baptizatos?*

§. 10. Idum est hoc: Baptismus est signum & sigillum fœderis gratiosi. E. non facit ex non fœderatis fœderatos s. ex non fidelibus fideles, sed declarat & in gratiâ fœderis confirmat. Ratio: Quia circumcisio non faciebat fœderatos sed arguebat, unde post initum fœdus data est Abrahamo. Resp. 1. Antecedens esse falsum, si ita accipiatur, q. Baptismus sit signum saltem significans; atque idem etiam ad ejus probationem dictum volumus, sc. quia circumcisio, cui Baptismus successit, fuerit signum. Concedimus quidem etiam significationem in Baptismo locum habere, at solam significationem Baptismum absolvere negamus, Sic immersio in a-
quam

quam notat quod *vetus Adam* debeat subinde per mortificationem & penitentiam in nobis submergi & extingui cum omnibus peccatis & c. ut B. Lutherus præeunte Paulo Rom. VI, 4. & Col. II, 12. loquitur: attamen Baptismum principaliter & primario significationis gratiâ institutum fuisse negamus & pernegamus. Dist. g. inter signum merè *σημαντικόν* & representativum, & inter signum *προσφορµερον* ἢ *μεταδοτικόν* & exhibitivum: hujusmodi, non a. istiusmodi signum Baptismum, ut & Circumcisionem dicere, ipsimet non veremur. Hic v. etiam Sacramentariorum nonnulli nobiscum loqui amant, negantes Sacramenta esse *signa nuda*: at fucum faciunt & subdole agunt: aliud n. nihil volunt, quam hoc, Sacramenta non esse *signa nuda à significando & obsignando*, interim ea *nudare* inqunt à *conferendo & exhibendo*. Digna profectò subtilitas acumine Calvinistico! Nisi n. hic liberales essent, *signum non significans* & à *significando liberum* concedere per in signem contradictionis implicationem tenerentur: hoc v. quid aliud esset, quam insomnium fingere sine somno. 2. Licet circumcisio Abrahamo fuerit data *eis σφραγίδα δικαιώσεως τῆς πίστεως* Rom. IV, 11, infantibus tamen fuit medium, quo *corda eorum fuerunt purificata*, Act. XV, 9. Col. II, 11. Invertimus itaque argumentum: Sicut circumcisio in adultis & profelytis fidem augebat & confirmabat, in infantibus a. operabatur: ita & Baptismus scilicet in N. T. *Circumcisioni n. nihil dari potest quod non Baptismo simul sit concedendum, quia in eadem causa sunt*, ut loquitur Calv. l. d. §. 20. vel ut habet Wendelinus, quia hic *isti successit*.

§. II. Pergit III. *Infantes non regenerantur per verbum externum tanquam per causam instrumentalem. E. nec per Baptismum: quia non magis intelligunt ceremoniam Bapt. quam ipsum DEI Verbum externè annunciatum. At qui eodè modo agunt Verbum & Sacramentum, nempe significando & confirmando, ei qui credit. Resp. i. N. C. quia fit processus à negatione unius instrumenti, ad negationem alterius. Neque etiam requiritur, ut infantes percipiant aut intelligant ceremoniam Baptismi, sed Sp. S. in ipsis operatur regenerationem per Baptismum. 2. Quod Wendel. addit, Verbum & Sacramenta agere eodem modo, significando sc. & confir-*

D fir.

firmando ei qui credit, id quidem acceptamus, sed addimus eadem efficaciter quoq; & effectivè instrumentaliter operari regenerationem & fidem in nondum credentibus.

§. 12. *Item tale est: Non omnes adulti in ipso externo Baptismi actu regenerantur. E. interior Sp. S. regenerantis ἐπέχεια non exerit se semper in ipso Baptismi actu, ac proinde nec in infantibus omnibus. R. ἐπέχεια Sp. S. regenerantis se semper exferere, si ipsi homines modò non resistent per hypocrisis & incredulitatem, quæ causa est, cur adulti non omnes regenerentur in ipso actu Baptismi, ut supra §. 1. Quæst. hujus indicavimus. Quia v. infantes per actualem impœnitentiam aut incredulitatẽ Sp. S. reluctari non possunt, hinc eos semper per Baptismum regenerari certum nobis est.*

§. 13. *Ad hæc excipit: Si idè non regenerantur adulti, quia obicem ponunt operationi Sp. S. sequitur (1) vel nullos omninò adultos regenerari, & efficaciorẽ esse adultorum pravitatẽ actualem, quàm Sp. S. regenerantis gratiam & ἐπέχειαν. vel (2) omnes qui regenerantur ita naturã comparatos esse, ut sine pugna Spiritui se sponte submittant. Prius a. dicit falsum, absurdum, scripturæ atq; experientia contrarium: posterius v. planè Pelagianum esse. Resp. 1. Unde probabit Wend. omnes adultos pariter obicem ponere Sp. S.? An ex eo, quod actualis pravitas omnibus à naturã inest? Verùm dist. debebat inter pravitatẽ actualem omnibus connatã: & proæreticã s. affectatã. Illa certè operationẽ Sp. S. non impedit, sic n. sequeretur, neminem unquam regenerari: de hac v. loquimur, cum dicimus adultos Sp. S. operationi obicem poni. 2. Præsupponit Wendel. Sp. S. in conversione hominis agere irresistibiliter, indeque pro falso & absurdo, nec non Scripturæ & experientiæ contrario venditat, ἐπέχειαν Sp. S. quandoque à pravitate hominum irritam reddi. Id v. nec absurdum est, nec falsum, quia Sp. S. in conversione non agit pro absolutã infinitã virtutis suæ potentiã, neque adimit homini simpliciter vim resistendi prout eam adimere posset, ideoq; omninò hum. voluntas Sp. S. resistere potest reluctando, sicut & dñ. voluntati, quæ vult ne peccemus, sapius peccando resistit, quod ipsum nõ solum Scriptura, sed & experientia satis docet. Vid. Matth.*

XXIII, 38. Act. VII, 51. &c. In alterò exceptionis membro N. C. Nostra n. sententia rectè & Regiâ incedit viâ & verè, quod a-
junt, τὴν μέγαν τέλει inter Pelagianum præcipitium ex unâ, &
Stoicum ex alterâ parte. Neq; n. aliud ex eâ sequitur, quàm
aliquos operationi Sp. S. non reluctari ponendo obicem, id quod
immane quantum à Pelagianismo distat: nam & in irregnitum
talis non reluctantia cadere potest.

§. 14. *Utrum* argumentum est: *Si infantes per Bapt. tanquam
causam instrumentalem redduntur fideles & regenerari incipiunt, se-
quitur ante Baptismum infantem nullum esse fidelem & regeneratū.
At falsum est consequens, quia sequeretur omnes, qui ante acceptum
Bapt. moriuntur, damnari; E. & antecedens.* Responsum a. huic
argumento est sufficienter in Quæst. I. quare actum agere nolu-
mus, pergentes ad *Utrum*, quod ita se habet: *Infantes non servā-
tur per Baptismum quo carnis sordes abjiciuntur. E. per Baptismum
quoq; non regenerantur eo modo quo volunt adversarij.* Antecedens
probare conatur è 1. Pet. III, 21. Conseq. rationem dat hanc:
Quia regenerandi vim non habet, quod servandi vim non habet. Resp.
Nos etiam cum Petro negamus infantes regenerari per Bap-
tismum, qui est depositio sordium corporis, cum id quod vis com-
mune balneum præstare possit: sed eum Baptismum cum Petro
asserimus regenerationis gratiam conferre infantibus, qui est
*ἡ ἐξέλιξις ἀγαθῆς συνειδήσεως ἐν ὄδῳ, & lavacrum aquæ in
Verbo Epb. V, 26.* nam hunc nos servare Paulus quoque luculenter
adstruit: Invertimus itaq; & hoc Wend. argumentum: *Quia
Baptismus, qui est stipulatio bonæ conscientie erga Deum, in-
fantes servat. E. idem Baptismus eos etiam regenerat. Quod n.
habet vim servandi, habet etiam vim regenerandi.*

§. 15. Deniq; VII. ita colligit: *Si omnes infantes in ipso Bap-
tismo regenerarentur, sequeretur omnes baptizatos servari. At
falsum est consequens.* E. Ratio connexi est: *Quia semel regene-
rati & fide verâ præditi hæc dona nunquam amittunt (ut suo loco
probabimus) & proinde non damnantur.* Resp. *connexum fal-
lere, quia ejus ratio fallit.* Falsum namq; & Scripturæ adversum
est, semel fide donatos aut regeneratos Sp. S. gratiam non posse
amittere. Quâ de causâ etiam errorem hunc in AnaBaptistis

damnavit *Conf. Augustana* in Art. XII. (cujus societatem tamen Reformati hastenus ambierunt) & suo loco eundem confutârunt Nostrates. Vide, si placet, *B. Meisner. Antbr* S. Dec. II. D. XIX. & *Dn. D. Dannbauer Hodomor. Spir. Calv.* T. II. Phant. IX. à p. 1976. ad 3009. Nos transimus ad

QUÆSTIO III.

Utrum Baptismus alius sit interior alius exterior, an v. una sit & indivisa tantùm actio?

Haec. Quest.

§. I. Probè ante omnia id observandum est *n.* non quari hîc de eâ Baptismi *unitate*, quâ aliàs unus dici solet, quia repeti non debet, etiamsi quis salvari ejus fructu excidat, id quod fit si contra conscientiam peccata committantur: licet *n.* eo sensu etiâ rectè dicatur unus, nec reiterandus sit, *partim* quia circumcisio, in cujus locum Baptismus successit Col. II. it. non fuit iterata, *partim* quia Baptismus insinuat mortem Christi: at Christus semel duntaxat mortuus est Rom. VI, 9. 10. quo argumento etiam utitur *Damasc.* l. IV. de O. F. c. X. tamen id hoc in loco in controversiam non venit: nam & ipsi Calviniani hac in re nobiscum sentiunt. Deinde v. II. non inficiamur Baptismum constare *duabus rebus*, quarum una sit externa, terrena & visibilis, altera cœlestis & invisibilis: nam ipsemet Salvator hæc duo Baptismum constituere innuit Joh. III. ubi usus est voculâ *Ex*, quæ aliàs característica est materiq: Hoc ipso *n.* ejus unitas non labefactatur. Si quis a. eo respectu Baptismum alium externum alium internum dicere velit cum *P. Ravanello* l. d. f. 185. n. VI l. is profectò in eo peccabit, quod Baptismum dicat id quod Baptismus non est, siquidem neque aqua sine verbo, neque verbû sine aquâ Baptismum facit, sed demum *ubi Verbum accedit ad elementum sit Sacramentum* secundum *August* Neq; etiam III. improbanus aut rejicimus *distinctionem* illa n tum Patrib. tum Sch. laticis usitatam, inter *Baptismum flaminis, sanguinis & fluminis*. Est *n.* potius *equivoci ac nominis distinctio* in sua *equivocata*, quam rei aut generis in *species*, cum *primus & secundus metapho.*

apboricè & improprie saltem Baptismi nomine veniant. Idem de aliis Veterum distinctionibus statuimus cum B. Gerharo T. IV. L. de Bapt. §. VI. p. 780. sentiendum esse.

§. 2. Cum a. in quaestione dicimus, *an una sit & indivisa actio*, non confundimus sed ipsimet distingvimus actionem Dei ab actione ministri in Baptismo, neq; negamus aliam esse aquæ, aliam v. Sp. S. actionem *quoad naturam suam*: Dico v. nos hæc duo *distingvere*. Nam *divellere ac dividere* aquam à verbo in eodem actu Baptismi neutiquam licet, sed firmiter tenendum est, esse & manere utriusq; *una & indivisa actionem* ratione *influentis in agendo* propter Sacramentalem unionem. *Sicut n* (sunt verba Dn. D. Dannh. ex Hodol. p. 743.) *dua natura in Christo utraque agit quod suum est, sed cum communicatione ad unum* *σποτέλεμα*: *ita etiam aqua & Sp. S* (licet utriusq; *quoad suam naturam alia atq; alia sit actio*) *ratione inseparabilis communicationis in ipso apotelesmate, quod est ablutio regenerativa, unum inseparabilem actum constituunt.* Sive a porro trinas, una vel immersio vel adpersio fiat, id perinde est ac diaphoron, nec evertit Baptismi unitatem. Unde *Sozomenus* l. VI. c. XXVI. inter *Eunomii* hæreses merito retulit, quod statuerit, *ἐν μιᾷ καὶ ἀδύσει χρῆσαι ἐπιτελεῖν τὴν βαπτισμὸν*: neq; eo nomine erroris accusanda est Ecclesia *primitiva*, quod trinam adersionem & immersionem adhibuerit, teste *Tercull. advers. Prax.* c. XVI. vel etiam *Nostræ*, quæ eadem adhuc liberè utitur.

§. 3. Ex his a non potest amplius obscurum esse, quid in disceptationem propriè hic veniat. Nimirum non an Baptismus unâ vice solum sit conferendus, id n. uti dictum est, utriusque conceditur, neque an unâ solum numero debeat fieri adpersio vel immersio: id n. est adiphoron & in Ecclesiæ libertate positum: sed hoc quaeritur: *An Baptismus sit una & indivisa actio quoad substantiam & speciem actionis ratione Sacramentalis unionis rei terrene & celestis ita ut & ministri & Sp. S. actio eodem tempore Baptismum unum constituat & absolvat?* Id quod nos Affirmari a gumentis quæ jam exponet.

Κατασκευή.

§. 4. Inter eav. merito *Imum* locum deferimus *Scripture* S.

testimonio. Exertè n. Apostolus Eph. IV, 5. ait: *Unus DEUS, una fides, unū Baptisma*: quæ verba nobis irrefragabile hocce argumentum suppeditant: Q. S. literæ non modò expressè unum, sed & ita unum esse docent, sicut DEUS est, & sicut fides una est, illud certè non licet geminum fingere, aut in duo distrahere. De Baptismo verum est prius, vi dicti allegati. E. etiam posterius. Quia igitur Deus essentiâ unus est, & vera fides itidem ratione objecti & formæ non nisi una est, licet ratione subjectorum & graduum alia atq; alia dici possit: igitur Bapt. etiam quoad *substantiam & speciem* non nisi unus erit. Hinc & idem Apostolus Gal. III, 26. *Quorquor*, ait, *baptizati estis Christum induistis*. Qui E. Baptismus alius, quem internum vocant Sacramentarii, solis electis, alius v. & electis & reprobis obtinet, quem externum nominant? Ita nim. apertè contradicunt Apostolo Sacramentarii!

§. 5. *Udum* locum damus *Symboli Niceni & Orthodoxæ Antiquitatis suffragio*. In illo n. Ecclesia Catholica confitetur *se credere UNUM BAPTISMA in remissionem peccatorum*. Et Cyprianus serm. de Capt. Christi: *Una*, inquit, *nobis fides, unum Baptisma* &c. sic & Ambrosius l. IX. Ep. LXXXVII. *Aquâ corpus abluitur, Spiritu anima delicta mundantur, sed hæc inter se divisa esse non possunt*. Et iterum: *Unum est in Spiritu & aquâ Sacramentum, quo totus redimitur homo*. Eodem sensu & Chrysost. Hom. I. in Acta Apost. T. II l. f. 445. affirmat, utrumque sc. & unctionem Spiritus & unctionem aquæ in nobis fieri *pariter & eodem tempore*, secus ac in Apostolis; *nam tunc disjunctim s. diversis temporibus fiebat*.

§. 6. Addimus III. argumentum *restæ rationis & plurimè absurda* quæ è Sacramento Baptismi gemino fluunt. Quanquam v. illi in articulis fidei probandis parum tribuamus, attamen, quia Calviniani in aliis eam magnificiunt, meritò & hic illis opponitur: maximè a. idèò quod Scripturæ S. ea innixa sit fundamentum. Ita E. ratiocinamur: Nulla pars potest constituere totum illud, cujus est pars. Si hoc. E. malè totius nomen ei imponitur, cum nomen sine re nihil sit. Jam v. aqua & Spiritus sunt partes Baptisma constituentes. E. neque aqua neq; Sp. S.

(li

(si spectentur ut *divisa*) possunt constituere Baptismū, ac proinde de aqua ineptè dicitur Baptismus externus, Sp. S. a. internus. Accedunt præterea hæc *absurda*: 1. quod *natum* Baptismi hac divisione *evertatur*, cum solvat unionem rei terrenæ & cœlestis. At hac solutâ non est Baptismus. 2. quod Sacramentorum *numerus minuatur*, tum ob modò allegatam rationem, tum quia aquæ in Baptismo vis regenerativa derogatur, & soli Sp. S. vendicatur: unde iterum Baptismus esse desinit. 3. quod idem *numerus augeatur*, dum nim. internum Baptismum externo aquæ symbolo, & vicissim Baptismum externum Sp. S. operatione privant, atque sic soli aquæ & Sp. S. itidem seorsim considerato nomen Sacramenti tribuunt, cum tamen neutri definitio Sacramenti propriè dicti conveniat. 4. quod *div. ordinationi otiosus ritus affingatur*. Qualis n. quæso erit is Baptismus, qui incidit in infantem reprobum? Inanis profectò ceremonia! 5. quod *finis Sacramenti sigillatim impugnetur*. Cui n. certo esse licebit de suâ cum Deo confœderatione? Conf. Dn. D. Dannh. Mysterios. Sect. II. Art. III. §. 53. p. 354.

Ave Cœlin.

§. 7. Sed aliam prorsus & hîc sententiam amplectuntur Sacramentarii, & *duas numero diversas & non subordinatas actiones*, adeoque *duos Baptismos* comminiscuntur, unum *internum* s. *Spiritus*; alterum *externum* s. *aqua*. Quod ipsum v. quia præfractè à se fieri negant, probatum jam illud dabimus. Arguemur itaque in hunc modum: Quicumq; comminiscuntur, duos Baptismos, 1. secundum omnia causarum genera. 2. objecta. 3. subjecta. 4. adjuncta diversos & 5. tempore divisos, illi *numericam* aut *specificam* Bapt. unitatem non retinent salvam. De Sacramentariis verum est illud. E. & hoc. *Major est certissima*: Quis n. ea quæ tot modis differunt, dicet numero aut specie unum esse? *Minorem* igitur quoad singula membra probabimus. Et quod ad 1. quidem attinet, sc. de *quatuor generibus causarum*, id quantum ad causam (∞) *efficientem* docent in *Conf. Belgicâ* in Synodo Dordr. recognitâ & approbatâ Art. XXIV. p. 144. *Ministri quantum ad se attinet præbent nobis Sacramentum & rem visibilem, Dominus v. noster donat id quod Sacramen-*

to sim

eo significatur, dona nempe & invisibilem gratiam, En divisam à causâ instrumentali principalem, adeoq; duos Baptizatores! Conf. *Calv.*, l. IV. Inst. c. XIV. §. 17. & c. XV. §. 8. *Chamier Panth.* l. V. c. XIII. de Bapt. n. 21. (C) *materialem*, juxta *Vrsinum* in *Bapt.* est duplex aqua externa & visibilis terrena, que est elementaris, & interna, invisibilis cœlestis, que est sanguis & Spiritus Christi. Tom. I. in *Thef. de Bapt.* th. VII. Add. *Conf. Palatini* in *Synt.* Conf. p. 151 & *P. Ravan.* l. supra c. in §. 1. h. Quæst. (γ) *formalem*, duplicem ablutionem aliam internam aliam externam inculcât iidem *Confessores Belgæ* Art. eod. p. 143. Sicut aqua in nos effusa & super corpus baptizati conspicua ipsumq; aspergens sordes corporis abluat: Sic & sanguis Christi per Sp. S. idem præstat internè in animâ adaspergens eam & à peccatis suis mundans, nosq; ex filiis iræ in filios D. E. I. regenerans. (δ) *finalem*: aliud, *Aretio*, est baptizari h. e. externo cœtui fidelium suscepto symbolo professionis adscribi: & aliud abluere peccata h. e. accipere vim & gratiam signi externi, quæ est abluere à peccatis, quod non præstat aqua vel signum externum sed Deus qui signum instituit, part. I. *Probl.* LXXVI. p. m. 921.

§. 8. Præterea II. duplex Baptisma fingunt ratione objecti & materie circa quam: externum n. ad corpus, internum ad animam restringunt. Id præter allegata modò loca confirmat *Catech. Palat.* q. LXIX. Sind alhier diese zwey Dinge zu merken/ daß I. im Tauff zweyerley Abwaschen sey/ das eine ist eusserlich / so der Diener am Leibe durchs Wasser mit seiner Hand verrichtet: Das ander ist innerlich / So Christus selbst an der Seele durch sein Blut vnd Geist verrichtet. &c. III. De diverso subiecto clara sunt verba *Conf. Helvet.* Art. XX. p. 46. *Baptismo* initiantur Deo electi D. E. I. Quos v. Dominus non elegit etiamsi millies baptizarentur externo aque Baptismo nunquam tamen illis fides aut Sp. S. donatur, judice *Beza*, in *Colloq. Montisb.* p. 469 IV. Ratione adjuncti, necessitatis nim., internum ad salutem agnoscit necessarium non item externum *Rivetus* Tr. III. *Cath. orth.* q. III. p. 34. Scribens; *Necessitas absoluta est in regeneratione Sp. S. non in lavacro aque.* *Conf. Perkin.* *Catech.* p. 613. Denique V. quod de tempore diximus, id edocent verba *Beza* è *Resp. ad Acta Coll. Momp. Neg.* dixi pueros vel omnes vel aliquos reipsa in illo Baptismi momento regenerate.

generari, d. regenerationis beneficium suo demum tempore divinitus ordinato illum Baptismi actum in infantibus ex verbi auditu subsequi.

§ 9. Atque ex his apertum satis est firmiter perstare conclusionem. Unde sequitur nugas vendere Sacramentarios quoties cum Bezà clamitant [Vid. Acta Coll. Momp. p. 440] *se unum tantum agnoscere Baptisma*, vel cum excipiunt eodem præeunte p. II. Resp. p. 44. *Baptismum. Cυβωλος sumtum esse & manere semper unum licet κατὰ μέρη sit geminatus, prouti homo unus est, licet è corpore & animâ componatur.* Nam Baptismus internus & externus non sunt partes essentialia Baptismi, sicut anima & corpus hominis partes sunt, ideoq; impertinens est hoc similitudo, ut pluribus ostendit *B. Meisner part. 1. Phil. S. Sect. IV. c. II. Q. 1. p. 976.*

§ 10. Ejusdem v. furfuris est effugium illud *Parei ad Rom. II. f. 218. Duos nim. actus tantum unius Baptismi à Reformatis constitui, non a. duos Baptismos.* Aut n. dicent actus illos subordinatos, aut non subordinatos. Si illud concedimus & nos duos in Baptismo actus concurrere dici posse, sed improprie, cum is consideretur *materialiter*: at si *formaliter* consideretur [quod omnino fieri debet] prout est sacra actio negamus geminam actionem inferri, ita ut alia sit actio Dei, alia ministri: siquidem DEU Sagat operâ & manu ministrorum Sed & *causam* addit Pareus, quare utrumq; istum actum appellent Bapt. sc. *ex sermone Ecclesie* id fieri dicit. Cujus nam v. Ecclesie? Intellectas procul dubio vult *Sacramentariorum Synagogas.* At hoc est, quod volumus, &, ut opinor, sufficienter hætenus demonstravimus.

§ 11. Reliquum jam est, ut, quibus nam argumentis hoc *evenus* suum pro pugnent, dispiciamus. Tria hæc a. maxime urgere solent. I. è *Matth. III, 11. Ego baptizo aquâ, Christus a. vos spiritu & igne baptizabit.* II. è *Rom. II 28. 29. & Col. II, 11.* ubi geminam circumcisionem facere Apostolum autumant. III. è I. *Pet. III, 21.* ubi volunt distingvi Bapt. quo *cordis & corporis* sordes abluantur h. e. *internum ab externo.* Resp. ad I. Johannem non loqui *simpliciter* de vi & efficaciâ ministerii sui & Christi, sed exponere quid intersit inter operationem suam ceu causæ *instrumentalis* & Christi ceu causæ *principalis* quantum ad

E

spi-

Spiritualem Baptismi effectum. Non g. dividit aut sejungit
 Bapt. aquæ à Bapt. Spiritus Sancti ad II. Confundi ab Ad-
 versariis *usum & fructum* Sacramenti cum ipsâ *substantiâ*. Pau-
 lus quidem effectum Circumcisionis appellat Circumcisionem,
 non tamen duas eo ipso facit species circumcisionis. Et manet
 omninò, ut circumcisio carnis ac Spiritus S. interna & externa
 distincta in suâ naturâ, ita & ablutio externa & interna in Ba-
 ptismo; non tamen inde vel Circumcisio vel Baptismus gemi-
 natur. ad III. deniq;. Concedimus Petrum distingvere Baptis-
 ma à depositione sordium carnis, sed hanc indignam censet
 Baptismi nomine, eamque per expressè additam negationem à
 Baptismo removet.

QUÆSTIO IV. & Ult.

*Utrum infantes baptizati fide verâ & actuali
 pro modulo & mensurâ suâ præditi sint, nec ne?*

Παράρτημα.

§. I. Subjectum hujus problematis in ipsâ Quæst. propo-
 sitâ satis determinatum & declaratum est. Cuius n. ad oculus
 patet, nos non querere hic de *infantibus, quomodocumq; se habentibus*, an fideles sint *in se & suâ naturâ*, vel annum *ex utero* matris
 fidem secum afferant in hunc mundum, adeoq; & ad Baptismũ:
 Nam id non *ἀπολύτως* modò negamus, sed & sufficienter in Q. I.
 supra jam tum profligavimus: Verùm quærimus de *infantibus
 baptizatis*, an Baptismus quoad illos sit efficax medium atque
 organon accendendi fidem. De *adultis* n. hic itidem largimur,
 eos per actualem suam malitiam & impœnitentiam Sp. S. opera-
 tioni resistere posse, ne fides in cordibus ipsorum generetur aut
 producat in actu Baptismi. In *prædicato* v. quærimus de *fide*,
 eaque non *quâlicumq;* aut *indefinitè sumtâ* prout distingui dein-
 cept solet in veram & fictam s. hypocriticam, vel in historicam
 & miraculosam, & hæc iterum in agentem sive activam, & reci-
 pientem s. passivam, & quæ hujusmodi distinctiones plures dan-
 tur: sed de *fide justificante & salvante*, quæ notitiâ, assensu & fi-
 duciâ

ciâ constat atq; absolvitur. Et de hac ipsâ fide porro queritur. I. an sit *vera*, ut removeatur fides *equivoca*, quam Bergius largitur etiam infantibus: Ea n. fides non est, sed esse fingitur, imò verè est non-fides: Nam quod *equivocè* aliquid esse dicitur, id verè non est, id quod esse dicitur, quemadmodum v. gr. homo pictus est *equivocè* h. e. verè non homo, cum nihil cum homine vero habeat commune præter nudum nomen. Dicitur II. *Actualis*. Per actualem a. fidem h. l. non intellectam volumus eâ fidem, quâ credimus nos credere, quæq; aliàs *reflexa* dicitur, & fide justificante posterior est; sed solum fidem *actu existentem*, s. inhærentem & operosam ac, si ita loqui liceat, *directam*, quæ meritum Christi apprehendat, & illud apprehendentem justificet. Atque hoc sensu nihil obstat quò minus fidem quæ in infantibus reperitur, actualem dicere queamus. Etiam si n. in illis generetur arcano ac nobis incognito modo, fides tamen ea, propter esse non desinit, nisi & velimus negare, creaturam ingemiscere ad DEUM, ut liberetur à servitute corruptionis, eò quod non intelligamus vel audiamus voces & clamores, sive gemitus earum, de quibus tamen Paulus testatur Rom VIII, 22.

§. 2. Notanter v. addimus III. an tali, qualem descripsimus hætenus, fide infantes baptizati præditi sint, *pro modulo & mensurâ suâ*. His verbis namque discrimen constituimus inter fidem adultorum & infantum. Neque enim talem his assignamus fidem, qualis in adultis est, sed meritò diversitas hæc agnoscenda venit, tum quoad medium fidem in utrisq; generandi, quod in adultis est Verbum, in infantibus v. Baptisma; tum quoad sensum fidei & experimentalem ejus notitiam, tum denique quoad extrinseca quædam fidei accidentia. His jam præmissis, licet; ut dictum est, modum specialem fidei infantilis exprimere aut ratione comprehendere non possimus, simplici tamen fide credimus, Baptismum esse efficax & salutare medium quo Sp. S. in illis fidem accendere possit, eamq; *veram & actualem* saltem *pro modulo & mensurâ* ipsorum. Id ut probemus, prodeat nunc

Κατασκευη. Προβλημα

§. 3. Producimus a. pro sententiæ hujus nostræ *modè* §. 1.

E 2

Ex-

Expressam Scripturæ S. literam. Dilucidè namq; Salvator de infantibus pronunciat, quod *in se credant* Matth. XVIII, 6. Marc. IX, 42. Ubi i. quantum *ad subiectum* notamus, illud esse *infantes*, non qui sunt adultiores, aut aliquot annorum pueri, ut volunt Sacramentarii, neq; humilitate solum, sed & ætate parvuli, qui alibi appellantur *ἑρέων*: τὰ ἑρέων v. nunquam non *renellum infantem* notat, & quidem vel adhuc in utero materno latentem, ut Luc. I, 41. & 44. vel jam natum quidem, sed lactentem adhuc & talem, qui in ulnas suscipi solet. Hæc duo v. *ταύτων* & *ἑρέων* promiscuè usurpârunt Matth. c. X IX, & Lucas c. XVIII. Non obstant v. ea, quæ huic explicationi opponere solent Sacramentarii, sc. quod parvuli, de quibus Christus pronuciavit, quod in se credant, fuerint tales, qui & à Salvatore *in medio collocari, & advocari, & ab aliis scandalizari* potuerint. Quantum n. ad *collocationem in medio* attinet, non sequitur inde, puerulum illum usu rationis præditum fuisse: id v. probandum adversariis, si quicquam obtinere velint. Nam etiam si concedamus parvulum illum fuisse bimulum, vel etiam trimulum, nihilò tamen plus rationis ac discretionis usu præditus dici poterit, quàm alii recens nati & adhuc à matre rubentes puelli. *Advocatio a.* sive quod jusserit Salvator pueros ad se venire, *accessum* saltem, non v. *accessus modum* insinuat: *Venire* igitur h. l. idem est ac quocunq; modo ad Christum adduci, sicut & hodiè infantes ad Christum rectè dicuntur venire, cum operâ parentum vel patrinorum ad Baptismum afferuntur. Hoc enim medium ad se veniendi Christ⁹ parvulis ordinavit, postquam visibiliter in terris præsens esse desit. Tandem v. *de scandalo res etiam est expedita*, si dist. inter scandalum *actuale & potenti-ale*. Cum n. DEUS non tam eventum actionis quàm agentis intentionem & operis pravitatem attendat, atque inde illam etiam actionem scandalum esse judicet, quæ alium offendere potest, licet cum actuali offensione non sit conjuncta: hinc quo sensu infantes scandalizari dicantur, in proclivi est colligere: Si v. & hoc negaverint Calviniani, concedant oportet, Christum ipso actu fuisse scandalizatum à Petro cum diceret ei: *Vade post me Satan, scandalum es mihi* Matth. XVI, 23.

Idv. manifestè impium! Vel si dicamus, non esse absurdum in-
fantes *suo* etiam modo offendi & scandalizari posse, quem expo-
situm vide à *B. D. Feurborn. Fasc. V. D. IV. th. 42.* Non alio n. sine
Salvator tantopere à scandalis & malis exemplis dehortari vo-
luit, quàm ut infantes fidem, quam in infantia habent, retine-
ant, non v. eam malorum exemplorum imitatione iterum amit-
tant, aut regeneratione rursus excidant.

§. 4. Deinde *quoad prædicatum* observamus, quod signifi-
cantly Salvator dixerit infantes *credere*, non a. solùm eos fidem
habere; Illud n. norat & infert fidem actualem. Nulla E. est i-
terum Sacramentariorum glossa, quam asserre hîc solent, Chri-
stum sc. dixisse infantes credere, fide non *propriâ sed parentum*.
Est n. *interpretatio hæc tam inepta, ac si quis dictum B. Virginis: Pa-
ter tuus Ego cum dolore Te quaesivimus: ita exponeret: Tu cum
dolore quaesivisti Patrem & matrem tuos monente Dn. D. Hülsem.
in Man. A. C. D. VII. q. III. th. 7.* Huic proinde Salvatoris
testimonio plus adhiberi debet fidei, quàm ipsi adultis qui ore
profitentur se credere, cum mentiri ac fallere possint, Christus
a. nec fallat nec mentiarur. Tale g. inde fuit argumentum:
Quoscunq; ipse Christus falli & fallere nescius in se credere as-
firmat, illi omninò fide verâ & actuali erunt præditi: Credere
n. ut diximus, infert fidem actualem. Sed Christus ipse affir-
mat infantes in se credere. Ergò.

§. 5. II. producimus *Manifestam è Scripturâ consequentiam*,
eaque talis est: De quibus in Scripturâ prædicantur fidei actu-
alis effectus & proprietates iis fides actualis ipsa non debet dene-
gari. At de infantibus circumcisis in V. & baptisatis in N. T.
prædicantur effectus & proprietates fidei actualis in Scripturâ,
Ergò. *Major* est firmisima, cum rectè argumentemur ab effe-
ctu ad causam. *Minor* a. probatur hoc Prosyllogismo: De qui-
bus dicitur, quod sint capaces regni coelorum, filii Dei, rege-
nerati, quodq; Christum per Baptismum induerint, quod De-
um laudent atq; eidem placeant & accepti sint, illi præditi sint
oportet fide verâ actuali: Ratio est: Quia regnum coelorum nõ
est nisi credentium Marc. XVI, 16. & regnitorum Joh. III, 5. &
per fidem sumus filii DEI, ac Christum induimus Gal. III, 27. &

E ?

non

non nisi fideles Deum verè laudare eiq; placere possunt LXXI,
6. Hebr. XI, 6. Laus div. n. est effectus fidei. De infantibus a. cir-
cumcisis & baptizatis hæc dicuntur : Nam Christus non solum
pronunciat eorum esse regnum cœlorum, sed & adultos jubet,
ut illis conformes fiant, si regnum Dei velint introire Matth.
XVIII, 3. c. XIX, 14. Eos v. regenerari per Baptismum Qu. II. evi-
cimus, & Paulus Gal. III. 27. testatur, quod per eundem Chri-
stum induant: *Quotquot*, inquit, *baptizati estis, Christum in-*
duistis. Sive a. Christum induamus ut *donum* per fidem eum appre-
hendêdo, sive ut *exemplum* eum imitando, utroq; fides re-
quiritur quæ actus est. De laude div. a. quam eos Deo dicere
diximus Psaltes Regius testis est Ps. V III, 3, & Salvator ipse
Matth. XXI, 15. 16. Ac tandem, quod Deo placeant & accepti
sint inde elucet, quia dicuntur Jehovah timere Ps. CXXV, 13. & A-
poc. XI X, 5. At *Jehova diligit timentes se* Ps. CXLVII, 17. Er-
gò manet quod volumus, infantes præditos esse fide verâ & a-
ctuali.

§. 6. Non a. moramur quicquam *Piscatoris observat. XI ad*
Matth. XIX, 14. scribentis: *Etiamsi ponatur sermonem hinc esse de*
infantibus, tamen non potest hinc certò concludi illos præditos esse
fide. Etenim infantium potest esse regnum cœlorum etiamsi non cre-
dant, dummodo sint electi. Fides n. in scripturis nusquam requiritur
nisi ab adultis, ut qui capaces sint auditus per quem datur fides.
Multis namq; modis hîc impingit in veritatem: Quod n. de in-
fantibus sermo fuerit Salvatori, modò probavimus; & non est
proinde, cur cum Piscatore *dubitemus*, vel id saltem *ponamus*.
Porro quod addit, infantium posse esse regnum cœlorum, et si nò
credant, id manifestè falsum est, & ita impium & vanū, ut non
eyerat axioma Salvatoris universale: *Quicumq; nò crediderit, cõ-*
dẽnabitur. Marc. XVI, 16. Nullâ profectò hîc Salvator mêtione fasti-
cit discriminis inter adultos & infantes. Sed & illud nullus est
momêti, quod de electione inserit: *Electio n. hominũ facta est re-*
spectu fidei Christũ apprehendentis. Jac. II, 5. Rationem v. de au-
ditu, quam annectit, in sequentibus, ubi reliqua eorum argumen-
ta discutiemus, examinaturi sumus.

§. 7. Nunc II l. producimus *Experientiam.* Johannes Baptista
enim

enim exemplo suo testatur fidem actualem infantibus etiam
cōperere, quippe de quo Lucas c. I, 4. refert, quod in utero matris
Elisabetha ad auditam Marię semper Virginis vocem exultavit,
& fide quasi excoeperit presentē Messiam. Quid causę igitur, cur
infantibus aliis & baptizatis quidem fidem talem denegaremus?
Extraordinarium & singulare planē exemplum esse in eo, quod
Johannes actuali intellectu fidei in utero matris repletus exul-
tavit, largimur: neque etiam hoc respectu in universalem conse-
quentiam illud trahimus, cum non omnes infantes ad eum mo-
dum in utero matris fide donentur, aut exultent; at in eo tamē
singulare & extraordinarium minimē est, quod in infantia & te-
nerā ætate ac priusquam ratione uti posset, fide donatus sit, in-
deq; rectē de aliis infantibus baptizatis elicimus, eos fidei actuali
capaces esse. Nihil E. aliud agunt Sacramentarii, quàm ut
lubricitarem suam prodant, quoties nobis ad hoc exemplum re-
ponunt, nihil ex eo probari posse, quia sit *singulare & extraor-
dinarium*. Nam quando ipsi sanctitatem liberis fidelium con-
natam evincere allaborant, pro firmissimo & accommodatissi-
mo exemplo id habent, ut è Q. I. §. 20. constat.

§. 8. Addim9 IV. *Patrum orthodoxorum symphoniam*. Nul-
lo n. modo verò consonum est quod Henr. Alting. part. 1. *Probl.
Theol.* p. 195. scribit, *Lutherum serè primum fuisse, qui definierit in-
fantes habere fidem actualem: cum Dd. Ecclesię longè ante Lu-
therum infantes baptizatos in numerum credentium retulerint.*
Ita n. S. *August.* T. X. serm. XIV. de Verbis Apost. *Inter creden-
tes baptizatos parvulos numerabis, nec judicare ullo modo aliter au-
debis, si non vis esse (arrigeaures Calvine) apertus hereticus.* & in
Ep. LVII. ad Dard. *Dicimus E. ait, in baptizatis, quamvis id nesci-
ant, habitare Sp. S. sic enim eum nesciunt quamvis sit in eis, quem-
admodum nesciunt & mentem suam, cujus in eis ratio, quā uti non-
dum possunt, veluti quaedam scintilla sopita est excitanda etatis ac-
cessu.* Et paulò post addit: *Habitare ideo in talibus dicitur, quia
in eis occultè agit, ut sint templum ejus, id quod postea perficit in per-
ficiētib9 & perficiendo perseverantibus.* Eant jam & adhuc cau-
sę suę patrocinium quærant apud Præsulem Hipponensem Sa-
cramentarii, corradentes nonnulla dicta ipsius quibus fidem a-
ctua-

ctualem & propriam denegare parvulis videtur. Ex modo allegatis n. locis aperte satis constare potest, eum, cum identidem scribit *infantes non habere fidem actualem & propriam*, non simpliciter omnem illis fidem actualem detrahere, sed κατὰ τὴν, q̄t, sc. non ex auditu, meditatione & apprehensione verbi prædicati & audibilis est, sed per Baptismum s. verbum visibile acceditur: vel q̄t. se non exerit per effectus exteriores, aut quia ab ipsi infantibus præsens esse non cognoscitur. Hoc innuit cum scribit *parvulos baptizatos non habere sensum fidei* l. I. de P. M. & R. c. XIX. *eos nondum scire divina* Ep. LVII. ad Dard. *eos nondum posse credere corde ad justitiam, & ore confiteri ad salutem* l. IV. contra Donat. c. XXIV & Ep. XXIII. ad Bonifac. ait, *parvulum nondum fidelem facere illam fidem, qua in credentium voluntate consistit & c.*

Ἀνασχευή.

§. 9. Cæterum & hîc non omnes idem sentiunt Sacramentarii, sed ita inter se dissident, ut liquidò appareat, ipsos agi Spiritu vertiginis. Zvinglius omnem fidem infantibus derogat T. II. p. 92. scribens: *Qui probare vellet infantes habere fidem, latere rem ille lavaret; ex adverso a. Arctius asserit, præsumtuosum esse infantibus planè fidè denegare* part. I. Probl. p. 977. & mavult ad parentum fidem recurrere cum *Marlorto* ad Matth. IX, 2. *Bezà* in Coll. Momp. p. 491, *Zanchio*, *Perkinso*, *Bucano* & aliis. Alii a. infantes potentia fideles esse dicunt, ut *Chamier* in Paltrat. l. V. *Ursinus*, *Polanus*, *Alstedius*, *Martinius*, *Piscator*, & c. Aliis placet adscribere illis *semen fidei*, cum *Calvino* l. IV. Inst. c. XVI. §. 20. & *Henr. Alcing* l. c. p. 198. & p. 11. Expl. Cat. Pal. p. 321. quorum hic scribit: *semen fidei est Sp. S. fidei effector & c.* Alii *radicem* fidei appellare malunt cum *P. Martyre* & c. In eo tamen omnes conveniunt, quod præter, imò contra Scripturam S. loquantur, quòd de Zvinglii quidem errore è dictis est manifestissimum, nec minus apertum de sententiâ eorum qui fidem *alienam* s. parentum s. Ecclesie illis imputant, cum scriptura non modò doceat, *justum suâ fide vivere*. Hab. II, 4. Rom. I, 17. sed & ipsi *Bezà falsū, absurdum & aequè ineptum videatur, ac si dicatur, quæpiam posse vivere alienâ animâ, aut alterius sapientiâ sapere*: imò nihilo plus in-

infantibus aliorum fides conferat; quàm salutem ipsorum alienam improbitas aut infidelitas obest. Illis v. qui potentiam fideles dicunt infantem baptizatos respondeat *Herm. Ravenspergerus Calv. Batavus* è Floril. p. 169. *Fundamento carere dicimus distinctionem fidei in potentialem & actualem, item illam fidei actualem in fidem aeternam primi & secundi. Vanitas! Non queritur an infantes ubi adoleverint habituri sint, vel habere possint fidem, sed utrum infantes, dum sunt infantes, fidem veram & salvificam habeant.*

§. 10. Neque minor est eorum vanitas, qui infantibus fidei semen vel radicem adscribunt, siquidem absurdum hoc admittere coguntur, quod causa in actu posita & non impedita effectus non sequatur necessario. Nam per semen intelligunt Sp. S. ut ex *Alting.* modò audivimus, hunc etiam nominant fidei effectorem, & dicunt eum habitare in infantibus. Jam v. Sp. S. est effector fidei non presentia generali, sic n. omnes homines dicendi essent fideles, cum hoc modo omnibus presentis sit, sed gratiosa, quæ conjuncta est cum operatione. E. presentia ejus in infantibus baptizatis non erit otiosa, sed operosa. Quid v. operabitur nisi fidem? Sed hæc de sententiis Calvinistarum. Nunc hoc unum restat, ut argumenta, quibus sententiam nostram solent impugnare, expendamus, quæ quia studiosè collegit *Henr. Alting.* p. 5. *Probl. III.* p. 159. & sejus vestigia legemus.

§. 11. Brevitatis a. gratiam conjungemus cum arg. I. secundum etiam, nam & in hoc ad illud remittit & provocat. Sic a. habent: *Quibus omnes partes fidei actualis adimuntur illis totum tribui nequit. Infantibus omnes partes fidei actualis adimuntur. E. Minorem probat inductione partium, ut sunt notitia, assensus & fiducia.* De notitia tractat arg. I. quod tale est: *In quos nullius rei actualis notitia cadit si fidei actualis capaces non sunt. In infantes &c.* E. Minorem confirmat è *Deut. I. 39. Jes. VII. 16. Jon. IV. 11.* Assensum v. eisdem non competere probat inde, quod assensus feratur in objectum cognitum: *Fiduciam v. ipsis derogat, quia sit specialis adjudicatio & applicatio promissionis gratiæ in verbo Evangelii.* Resp. ad I. de notitia l. Dist. inter notitiam naturalem quæ acquiritur per media naturalia & spiritualem, quæ à Sp. S. exciatur. *Illæ quia non datur sine usu rationis, rectè derogatur.*

infantibus per loca allegata, neq; ea ad fidem salvificam est necessaria: *hæc v. ad salutem necessaria infantibus non omnino deest, ut docet Joh. Ep. 1. c. II. v. 14. affirmans in præterito de infantibus, quod cognoverint (ἐγνωκότες) Patrem. 2. Minor etiam non est ex se vera. Nam habent utique infantes rerum multarum notitias sibi connatas, quæ solent dici naturales.*

§. 12. *Hic v. dicitur Altingius: Non esse notitias illas actuales, sed principia quadam ac semina, quæ annis discretionis sponte & perse sine omni demonstratione se exprant.* Resp. Id dicere quidem Alting. sed non probare. Adhuc igitur asserimus, esse illas notitias actuales. Cum n. non merito Christi nobis sint paræ (ut quod ordinatione Dei lapsu posterius est) sed ex amissâ per lapsum protoplastorum imagine Dei reliquæ manserint, sequetur eas tales esse, qualis fuit ipsa imago divina, nam quale est totum, talis etiam est pars de toto residua præsertim si sit homogenea. Jam v. imago Dei non fuit mera bene agendi *divinus*, sed potius *divinus* certorum habituum, utpote habitualis sapientiæ in intellectu, habitualis iustitiæ in voluntate, & habitualis integritatis in appetitu. E. manet, notitias naturales non esse solam *divinam*, aut semina quadam, sed actuales imaginis div. reliquias, quas ex carnali generatione trahimus.

§. 13. Atque hinc liquet, quid porro ad II. de assensu responderi debeat. Nam quamvis incognitum nobis sit, quomodo infantes objectum fidei cognoscere ei; assensum præbere possint, non tamen propterea fides eis in totum deneganda est, cum Sp. S. in eis operari talem assensum possit, qui ad salutem sit sufficiens, ut *qui potens est omnia facere superabundanter quam intelligimus*, Eph. III, 20. Atq; idem etiam de III. nim. de fiducia dicendum erit. Idem n. Sp. S. qui notitiam & assensum in parvulis per Baptismum excitare potest, fiduciam quoque omnipotentis sue virtute operari poterit, cum & exemplum Joh. Baptista hoc ipsum luculenter confirmet. Neq; est cur de voluntate ejus dubitemus, cum non velit ut quisquam pereat. Quid quod eo sine Baptismo institutus sit, ut sit *lavacrum regenerationis*, quæ absq; fide esse nequit. Conf. I. Joh. V, 14. Imò quid fiduciamus & assensum & fiduciam in parvulis tantò esse majorem, quan-

quantò in adultis ille ob rationis reluctantiam est difficilior ,
quã de causã etiam Apostolus nos jubet *rationem captivare sub ob-
sequium fidei* II. Cor. X, 5. hæc a. non rarò tentationibus & dubi-
tationibus impugnatur.

S. 14. Tertium arg. petit à *descriptione fidei actualis* Hebr. XI,
1. *Fides est ὑπόστασις rerum sperandarum & ἐλεγχῶ* invisibilium. In
infantibus non est talis ὑπόστασις, quã res verbo promissæ ob certitudi-
nem promissionis subsistentiam suam sortiuntur in mente & corde,
quia nec notitia est, nec assensus, nec ad judicatio. Non etiam
ἐλεγχῶ qui evidentiã & firmitate promissionum cognitarum mentẽ
ad assentiendum, cor ad confidendum inducat. Hoc n. sine usu mẽ-
tis & rationis fieri nequit. Utrumque inde etiam hanc obscure
confirmatur, quod Apostolus longum fidelium catalogum continens,
adultorum solùm, non etiam infantum exempla adducit. E. Resp.
I. Quod de *hypothesi* dicit Altingius, id eã ratione, quam allegat,
non evincit, cum eam falsam esse in Responsione ad Arg. I. de-
monstraverimus. 2. Quæ de ἐλεγχῶ affert, ea pariter falsã *hypo-
thesi* nituntur, quasi scilicet ad fidem salvificam usus mentis & ra-
tionis requiratur, cũ tamen fides non sit opus rationis, sed Sp. S.
per Verbum & Sacramenta eam producentis Joh. VI. 29. Aliud
poinde est *fides*, & aliud *certitudo de fidei justificantis presentia*,
De hac, non autem de illa concedimus, quod ad eam usus ratio-
nis requiratur. 3. Non juvat Alting. quod Paulus nulla infan-
tum fidelium exempla adduxerit. Negamus enim consequentiã
hanc: Paulus Heb. XI. inter fideles non numeravit infantes E.
non sunt fideles. Possem namque eadem ratione inferre; Moses
in enumeratione creaturarum non facit mentionem Angelorũ,
E. Angeli non sunt creature: quod tamen alibi scriptura affir-
mat, quæ & in aliis locis infantibus fidem tribuit. Quod autem
Paulus adultorum solùm exempla adduxerit, causa ea esse vide-
tur, quia voluit Hebræos adhortari ad patientiam & constanti-
am, eoq; sine jubet ipsos imitari eorum exempla, qui verã fide
præditi fuerunt, & constanti patientiã bona promissã expectan-
tes eandem declararunt. Hoc autem modo cum infantes non
potuerint fidem suam exercere, nec Apostolus eos Catalogo hujus
fidelium inferere voluit.

§. 15. IV tum defumit à causâ organicâ fidei. Fides est ex auditu h. e. ex verbo Dei auditu, intellecto, meditato Rom. X. 17. & hac duo ordinatione Dei ita connexa sunt, ut quærat Apostolus, quomodo credent, de quo non audierint? v. 14. deniq; hac de causâ Evangelium verbum fidei v. 8. fides autem fides auditus s. verbi auditus denominatur, Gal. III, 2. Atqui infantes non audiunt, intelligunt meditantur verbum Dei, ut notum est. Ergò. Resp. 1. Committitur elenchus oppositorum & à positione unius ad negationem alterius proceditur. Quis enim ferat talem consequentiam. Fides est ex auditu E. ex auditu solo. Quid nãq; responderet Atingius ita colligenti? Fides est ex auditu E. non ex lectione vel meditatione verbi; vel sic: Homo vitam continuat per cibum, E. per eũ solũ. Ergone potus nihil confert ad cõservationem vitæ? Malè itaq; opponitur Baptismus verbo cum ille quoad infantes, hoc autem quoad adultos sit organon fidei accendendæ. 2. Apostolus ibi loquitur de adultis. Cũ enim Apostoli non invenirent inter gentes Ecclesiam aliquam constitutam, adducendi erant prius ad Christum per prædicationem verbi, Id enim innuit Apostolus cũ quærit; Quomodo credet, sc. adulti de quo nõ audiverũt? Et horum respectu largimur, auditum esse causam sine quâ non s. necessariam conditionem, quâ sine homo non convertatur, unde & fides rectè dicitur fides auditus, & Evangelium verbum fidei. v. 8.

§. 16. Arg. V. deducit à proprio effectu fidei actualis. Fides actualis est *ἐνεργουμένη* operans, actuosaper charitatẽ. Gal. V. 6. est fides operũ, 1. Thess. 1, 3. & absq; operibus mortua est. Jac. 11, 26. Fides infantum non est operans, operosa per charitatem E. Resp. 1. ad maj. Etiam in adultis fidelibus fides non semper operatur, ita ut exterius conspiciatur, aut se per bona opera exerat, v. gr. in somno, in gravioribus morbis &c. neque tamen idcirco ipsis fidem actualem denegare possumus. Nam à negatione nostri sensus ad negationem reipsius N. V. C. Dist. itaque inter effecta fidei externa & interna. Et si per illa se fides non manifestet, hæc tamen in infantibus operatur. Sic licet fructus peccati originalis in iisdem non appareat exterius, non tamen negandum est, eos peccato originis infectos esse, 2 ad minorem igitur dicimus, eam non esse simpliciter veram. Quamquam enim fides in infantibus; tali modo non sit

fit *ἐπιστημὴν* quo in adultis est operosa; operatur tamen in illis per charitatem, si non erga proximum, saltem erga Deum per fiduciam in eum Pl. LXXI, 6; per laudem divinam Pl. VIII, 3. &c.

§. 17. *Vltum à subiecto recipiente: Fides actualis non consistit absq. usu s. actibus mentis & cordis s. voluntatis. Siquidem in his subiectis proprie residet, & intelligere assentiri sunt actus mentis, confidere cordis. In infantibus nullus usus est mentis & voluntatis, ut notum est. Sequitur enim decimum annis discretionis. Ergò Resp. 1. Rationem non promovere, sed impedire potius fidem, cum etiã in renatis rebellis sit sapius. Quãdo enim ratio λογισμὸς suis indulget inimicitia est adversus Deum, Rom. VIII, 7. qui igitur ad ejus usum Sp. S. operatio fidem accendentis esset alligata? 2. Majorem non esse ex omni parte veram, cum & adulti fideles in somno usurationis desituantur. 3. Ad minorem dicimus, infantes non carere omni usurationis. Unde enim id adversarii probabunt? Etsi enim eo modo ratione suã non utantur, quò adulti, sc. per causas naturales, ut quò annis discretionis demũ sequitur, malè tamen inde infertur usum rationis in eis non posse à Sp. S. excitari supernaturaliter, cum obstet exemplum Joh. Baptiste, qui etiam in utero matris adhuc latens potuit agnosce-
re, credere, consentire, ut loquitur August. Ep. LVII. Eadem ratione licet non habeant fidem talem actualem qualis est in adultis, non tamen omnis fides actualis est eis deneganda, sic enim processus fieret à distributo ad non distributum. Sufficit proinde in parvulis ejusmodi operatio Sp. S. quã Christum fiducialiter apprehendunt, quam nos dicimus fidem actualem.*

§. 18. VII. *infert à similibus: Scriptura jubet nos esse malitiã infantes, pueros: notitiã autem non pueros, sed adultos, perfectos, viros, 1. Cor. XIV, 20. Eph. IV, 14. E. fidem actualem & quidem magis constantem ac sinceram quam sit adultorum ipsi non tribuit. Hoc enim contendunt Lutherani. Resp. Paulus non jubet adultos Corinthios vel Ephesios sectari fidem aliam à fide infantum diversam, sed hoc saltem vult, ne in dogmatibus fidei Ephesii se gerant similes infantibus, qui in rebus etiam divinis cuius fidem habent. pari modo & Corinthios hortatur, ne sint pueri sensibus h. e. ne externum illum peregrinatum linguarum splendo-*

rem attendant, ut à pueris fieri solet. Sed quid hoc ad infringendam fidem actualem infantum baptizatorum? An enim Paulus advertebatur Christo? qui omnes jubet *converti & fieri ós paídía*, si introire velint regnum cælorum, Luc. XVIII, 17. & Marc. X, 15. At v. certo est certius, neminem sine fide verà actuali ingredi posse regnum cælorum. Invertimus g. argumentum: Ad quorú exemplum Salvator adultos jubet ingredi regnum cælorum, eos oportet esse præditos fide actuali. Atqui ad exemplum infantum jubet salvator adultos introire regnum cælorum, Ergò. Conf. etiam §. 13. & 14.

§. 19. VIII. colligit hoc modo ab *Experientiã*. *Ea*, ait, *testatur infantes nec notitiam nec fiduciam actualem asserre ab utero aut referre à Baptismo, sed eam ubi ad annos discretionis venerint concipere & haurire ex fidei institutione parentum, preceptorum, ministrorum Ecclesie, accedente intus efficaci operatione Sp. S. Ergo hoc verum, illud autem falsum est.* Resp. 1. Quod dicit, infantes non asserre secum notitiam actualem, id si de *omni* notitiã velit intellectum, falsum esse è §. 11. & 12. constare potest: si v. de *salutari* notitiã loquitur, admittimus id quidem, sed ita videtur actualem quidem notitiam & fiduciã infantibus ante Baptismũ denegare, semé v. fidei ab utero iisdé cõcedere: quã de re itidé §. 10. menté nostram exposuimus. 2. Falsum est infantes à Baptismo fidem non referre. Quod v. probationis qs. loco affert, eo etiam nihil obtinet. Nam & Joh. Bapt. grandior non potuit fidei suæ infantilis rationé reddere, sed æquè ut alii infantes, in institutione & informatione indigebat: ecquis v. negabit, eum in utero matris, & postquam in hanc lucem fuit editus, fidelem fuisse? Porrò, quis credit, puerulum à Christo in medio discipulorum collocatum fuisse editurum confessionem, si de personã & officio Messie interrogatus fuisset? nec tamen Salvator dubitavit, de eo affirmare, quod *in se credat*. *Matth. XVIII.* Ita nim. Alting. *experientiam* allegans contra *Scripturam & Experientiam* disputat!

§. 20. Ultimum argumentum, petit ab *absurdo*: *Si omnes infantes fidelium fide actuali donantur in Baptismo, sequitur plerisque eam amittere, quia pleriq; adulti fide carent, itemq; frustra indi-*

iam fuisse eis, cum non assequantur finem fidei, salutem animarum I.
Pet. I. 9. Uerumq; absurdum est & contra Scripturam. Prius, quia
Christus oravit, ne fides amittatur Luc. XXII, 32. estque ipsa donum
DEI ἀμεταμέλητον. Rom. XI, 29. Posterius, quia omnes electi
assequuntur salutem per fidem. Rom. XI, 7. Ergò. Resp. Ea, quæ Al-
tingius pro absurdis venditat, nobis non sunt talia. Non prius.
Nam renatos fidem amittere iterum posse & totaliter & finaliter
non ipsa modò fidei natura, quæ cum peccatis contra conscien-
tiam consistere non potest, sed & perspicua Scripture testimo-
nia Ezech. XIX, 24, 26. Matth. XII, 20, 21. & exempla plurima ab-
undè satis confirmant. Videndum tamen, quid loca in contra-
rium allata in recessu habeant. Et in priori quidem dicit Sal-
uator, se deprecatum esse pro Petro, ne deficiat fides ejus, sc. fi-
naliter; at Petrus non solum renatus, sed & electus erat: hic v. de
electis quæstio non est, quippe qui quidem non finaliter, attamè
ad tempus totaliter fidem & gratiam Dei amittere possunt: si-
cut & ipsi Petro, antequam ei verba hæc loqueretur, Salvator
prædixerat, eum lapsurum, quod factum est etiam per Christi
abnegationem. In posteriori a. loco Apostoli scopus non est pro-
bare, quod renati nunquam possint amittere fidem culpâ propriâ
& voluntariâ aversione, ipsè n. contrarium docet v. 20. & I. sed
hoc vult ostendere, si eveniat, ut homines gratiam & fidem ceu
donum Dei per peccata contra conscientiam excutiant, id fieri
culpâ hominum; non v. DEI quadam μεταμελεία. Malè E. collig-
it Altingius: Dona Dei sunt ἀμεταμέλητα ex parte ipsius Dei.
E. ex parte hominum etiã non possunt excuti aut amitti. Sed
de his satis, cum propriè huc non spectent: Dicenda tamen hæc
pauca fuerunt ob allegata ab adversario loca. Neq; posterius ab-
surdum est, nisi & dicere velimus, legem moralem frustra esse da-
tam, quia homo finem à Deo intentum non assequitur, præstan-
do ei perfectam obedientiam: Quarit n. omninò Deus imaginem
suam & justitiam originalem in quâ hominem primùm creavit in præ-
ceptis Decalogi, ut B. Chemn. loquitur Tom. I. Loc. p 247. Sic est
quidem salus finis fidei docente Petro I. Ep. c. I, 9. sed fides sine
perseverantiâ, vel *ἠεὶ ὄλαις* ad salutem non sufficit, verùm qui
perseveraverit salvus erit Matth. X, 22 Unde cum electi non sint
omnes

omnes qui credunt, nec salus omnibus credentibus obtingit, sed illis demum dabitur corona vita, qui fideles fuerunt usq; ad mortem, Apoc. II, 10. Conf. Hebr. II, 6. Quod a. ultimo loco è Rom. XI. allegat, id iterum nos non ferit: agit n. ibi Paulus de electis nos hinc querimus de renatis: quos terminos quamvis pro convertibilibus habeant Calviniani, nos tamen non exiguum discrimen in eis deprehendimus, cum omnes electi sint renati, sed non vicissim omnes renati electi, id quod exemplo Judæ proditoris sit manifestissimum, qui certe fuit renatus, at non electus, cum fide pro, ectâ in desperatione miserè perierit, unde & ipse Salvator eum è numero electorum proscribit. Joh. XIII, 18. Scio, inquit, quos elegerim, non de omnibus loquor.

§. 27. Atq; hæc hæctenus de argumentis Altingii, quæ nobis opposuit. De reliquis, quæ pro semine fidei adstruendo produxit, nunc solliciti non erimus, maxime quia ea non nobis sed AnaBaptistatum errori opposita esse ipsemet profiteretur. Quare & Questioni & Disputationi huic finem imponimus, atq; ex his omnibus, quæ contra Calvinii, asseclas huc usque disputavimus, cum Dr. D. Einckio hoc consecrarium elicimus è Tom. V. Dispp. Giesl. Disp. XIII. p. m. 251. quod tamè ritè intelligi volumus: *In Baptismo illorum nullam esse posse vel peccatorum remissionem, vel interiore ablutionem, vel Sp. S. gratiosam inhabitationem aut operationem. Rationem consecrarij cape istam: Quia negant, fidem infantibus per Baptismum dari. Tantum!*

SOLI DEO GLORIA.

80

05 4 427

ULB Halle
004 208 773


3



V. 17
ad.







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

I. N. J.
 DISCUSSIO
 CONTROVERSIARUM
 ANNO TEMPORE INTER ECCLE-
 SIAE HODOXAS LUTHERANORVM & HETE-
 RODOXAS SACRAMENTARIORVM AGITA-
 TARVM

DE
 BAPTISMI SA-
 CRAMENTO

Quam
 Illustri Academiâ Wittebergenfi
 SUB PRÆSIDIO
 Maximè Reverendi, Amplissimi, atque
 Excellentissimi

BRAHAM CALOVII,

Doct. & Prof. Publ. famigeratissimi, Ecclesie
 Saxonice Pastoris & Circuli Electoralis Saxonici Su-
 perintendentis Generalis vigilantissimi, nec non
 Historij Ecclesiastici Assessoris gravissimi,
 Patroni, Præceptoris ac Hospitis sui exiter-
 num devenerandi

Examini publico submittet
 Ad d. April. in Auditorio Majori
 F. G. MELCHIOR GÜTHER, Halâ-Saxo.

WIITEBERGÆ,
 JOHANNIS HAKEN, ANNO MDCLXVI.

19